Herrn Professor Dr. Elter in dankbarkeit überr. vom Vf.

DE PROCLI CHRESTOMATHIA GRAMMATICA QVAESTIONES SELECTAE.

SCRIPSIT

FRIDERICVS STEIN.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGRAPHI ACADEMICI

1907.

[redacted]

DE PROCLI CHRESTOMATHIA GRAMMATICA QVAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRIDERICVS STEIN

RHENANVS.

PROMOTVS DIE VI MENSIS AVGVSTI ANNI MCMVII

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGRAPHI ACADEMICI

1907.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
A. Brinkmann.

AVGVSTO BRINKMANN

SACRVM.

I.

1. Tot antiquorum scriptis ad historiam litterariam pertinentibus amissis Procli Diadochi chrestomathia grammatica [1] scientiae nostrae amplificandae multum affert. Magni momenti compendium illud fuisse scientiae grammaticae Byzantinis tradendae iam nonnulli ut imprimis Preller [2], Jahn [3], Scherer [4] opinati praedixerunt, nemo tamen id, quod manu capi posse videbatur, certis argumentis demonstravit. Kaibelius primus in commentatione de prolegomenis περὶ κωμῳδίας scripta [5] qua ratione libellus institutus quaque auctoritate apud Byzantinos usus fuerit, ostendit. Qui cum tractatus de comoedia Attica scriptos perscrutaretur, invenit omnia illa commentariola Byzantina, a Tzetza plerumque conscripta, ad Procli chrestomathiam vel recta via vel scholiis in Dionysii Thracis artem scriptis intercedentibus redire. Quo factum est, ut cum antea duos tantum primos chrestomathiae libros cognoverimus, nunc etiam de altera parte melius certiores facti simus. Deinde Kaibelius scholiis Dionysianis usus Photium praesertim in initio excerpti sui parvam tantum partem eorum praebere probavit, quae in prooemio genuino extiterunt. Ab eo primo didicimus cuius generis fuerit et quam dispositionem habuerit chrestomathia; nunc apparet in titulo χρηστομάθεια γραμματική summam vim ponendam esse in adiectivo et libri illius consilium fuisse homines

---

[1] postremum edita a R. Westphal in Script. metr. Gr. vol. I p. 229 sqq.

[2] Allgemeine Literat. Zeitg. 1837 p. 115 et 117.

[3] Griech. Bilderchroniken p. 97.

[4] De Aelio Dionysio Musico qui vocatur. Diss. Bonn. 1886 p. 36 et 41.

[5] Abh. d. Kgl. Ges. d. Wissensch. z. Göttingen, philol.-histor. Kl. N. F. B. II, 4 (1898).

studiosos in historiam litterariam introducendi Sic instituta erat chrestomathia, ut Kaibelii imagine utar, receptaculum, quo antiquitatis scientia grammatica collecta et posterioribus reservata est.

Quicumque Kaibelii commentationem legerit, mirabitur illum ne uno quidem verbo quaestionem, utrum chrestomathia grammatica philosopho illi Neoplatonico, cui Diadochi cognomen est, tribuenda esset necne tetigisse. Eo magis premendum est, id quod Immischius[1] monuit, animadversionibus eius ipsis philosophum ut chrestomathiae scriptorem defendi. Postquam Immischii commentatio in lucem prodiit Christii historia litteraria quartum edita est. Qui etiam nunc, quae in prioribus editionibus dixit, repetit. Ne nunc quidem sibi persuadere potest compendium illud sobrium a monacho illo mystico compositum esse. In iudicando provocat ad argumenta, quae a Valesio[2], Welckero[3], Guil. Schmidio[4] allata sunt, quorum primus locum apud Alexandrum Aphrodisiensem extantem (in Aristot. soph. el. p. 4), ubi Proclus quidam ἐν τῇ τῶν ἑορτῶν ἀπαριθμήσει laudatur, falso ad chrestomathiae scriptorem rettulit, qui error a Welckero repetitus iam a Prellero (p. 107) notatus est. Christius quidem ipse, num recte duo illi libri conferantur, dubitat. Welckerus, qui mente praeoccupata quaestionem adibat, praecipue in libri habitu offendebat, quem a philosophi scriptis plane alienum esse putabat. Librum, qua esset sobrietate, a philosopho illo allegoria et meditatione capto scriptum esse persuadere sibi minime poterat. Quas dubitationes Prellerus in censura sua (l. s. c.) dispergere coepit, cum et Marini vita nisus philosophum non minus studiis grammaticis quam philosophiae operam pependisse[5] et chrestomathia

[1] Beiträge zur Chrestom. d. Proclus u. zur Poetik des Altertums (Commentationes in honorem Th. Gomperzii. Vindobonae 1902).

[2] de critica lib. I c. 20 p. 168 sq. Burm.

[3] Der epische Cyklus I 3 sqq.

[4] Mus. Rhen. vol. XLIX (1894) p. 133 sqq.

[5] Hoc loco in memoriam revocare licebit locum illum, quo Proclus de mysteriis librum Iamblicho tribuisse dicitur: Ἰστέον, ὅτι ὁ φιλόσοφος Πρόκλος ὑπομνηματίζων τὰς τοῦ μεγάλου Πλωτίνου ἐννεάδας λέγει, ὅτι ὁ ἀντιγράφων εἰς τὴν προκειμένην τοῦ Πορφυρίου ἐπιστολὴν ὁ θεσπέσιός ἐστιν Ἰάμβλιχος, καὶ διὰ τὸ τῆς ὑποθέσεως οἰκεῖον καὶ

cum ceteris scriptis collata allegoriae amorem, qui in libris ad philosophiam pertinentibus tantopere eluceret, etiam in chrestomathia inveniri demonstraret. Simul monuit suo iure quadam tantum ratione scriptum grammaticum cum ceteris conferri posse. Plane aliam viam ingressus Guil. Schmid cum Diadocho de tractatu grammatico contendit, cum ab antiquorum scribendi generum doctrina profectus fieri posse negaret, quin Proclus Hermogenis idearum disciplinae mentionem fecisset, si re vera saeculo quinto fuisset, id quod concludi necesse esse mea quidem sententia recte negavit Immischius l. l. p. 254 sqq. cf. etiam Kayseri dissert. De veterum arte poetica quaestiones selectae. Lips. 1906. p. 91. Maxime valuerunt apud posteriores Welckeri argumenta, cuius sententiam secuti sunt multi velut Sengebuschius[1], Christius. Zellerus[2] et Mettauerus[3] quaestionem in suspenso relinquunt. Alii tamen in memoria servata perseveraverunt velut Westermannus[4], M. Schmidtius[5], Wilamowitzius[6] alii. Recte Schmidtius de consensu, quo Proclus cum magistro suo Orione in lyricae poeseos generibus enarrandis coniungitur, commonet. Wilamowitzius, etsi in nomine servato acquiescit, tamen nihil interesse dicit, quod nomen compilatori illi detur, quippe qui non nisi relata rettulerit. Postremus Immischius a Kaibelii commentatione progressus accuratius hac de re egit et demonstravit, quot rationes inter chrestomathiam et Procli commentaria intercedant. Praeterea de propinquitate monuit, qua Procli περὶ ποιημάτων κρίσεως disciplina cum ea, quae in Dionysii Halicarnassensis libri alterius περὶ μιμήσεως epitoma extat, coniungitur, quod frag-

---

ἀκόλουθον ὑποκρίνεται πρόσωπον Αἰγυπτίου τινος Ἀβάμωνος. ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς λέξεως κομματικὸν καὶ ἀφοριστικὸν καὶ τὸ τῶν ἐννοιῶν πραγματικὸν καὶ γλαφυρὸν καὶ ἔνθουν μαρτυρεῖ τὸν Πρόκλον καλῶς καὶ κρίναντα καὶ ἱστορήσαντα, quod testimonium affert Galius in Iamblichi editione; cf. Zeller, Philosophie der Griechen III³ 2 p. 715 adnot.

[1] Dissert. Homer. vol. I p. 8 (in G. Dindorf. Il. edit.).

[2] Philosophie d. Griechen III³ 2 p. 779 infra.

[3] De Platonis scholiorum fontibus. Diss. Turic. p. 36.

[4] Biogr. Graec. p. 24.

[5] Didymi Chalc. fragm. p. 391.

[6] Homerische Untersuchungen in comment. philol. a Kiesslingio et Wilamowitzio ed. vol. VII p. 330 sq.

mentum (V. Us.) ad Neoplatonicum quendam redire ab Usenero probatum est.

Sed quaecumque argumenta, quibus Diadochi auctoritas fulciatur, allata sunt, ad singulas tantum res pertinent. Supervacaneum igitur non videtur, denuo illam rem in quaestionem vocare. Nondum quaesitum vel neglectum est, quid tandem in universum philosopho cum chrestomathiae scriptore commune sit, quibus scribendi proprietatibus plane consentiant. Primum igitur quaeramus necesse est, quem locum Diadochus in philosophiae finibus obtineat, qua re a ceteris Neoplatonicis differat. Neque ignota dico. Ille est primus, qui totam Neoplatonicorum disciplinam in ordinem et vincula arta coegit. Summa arte definiendi et distribuendi, quae plane abhorrere videtur ab illius hominis moribus, qui mysticis rebus indulget, qui dis et daemonibus familiarissime utitur, qui ipse miracula facit, aedificium disciplinae illius construxit. Omnes eius disserendi sobrietatem agnoscunt et admirantur[1]. Quicumque commentariorum in Platonis dialogos scriptorum prolegomena et imprimis ea scripta, ubi Proclus nullis vinculis impeditur, velut illud, quod inscriptum est Στοιχείωσις θεολογική pervolverit, huic iudicio assentiri minime dubitabit. Unusquisque animadvertet, quam diligenter scriptor a pri-

[1] cf. Zellerum III, 2 p, 782: Das ganze Gebiet der neuplatonischen Überlieferungen mit einem regelrecht entworfenen logischen Netz zu umspannen, dieses ganze Chaos zu ordnen, allem einzelnen seine bestimmte Stelle auszumitteln, alle Lücken, die sich hierbei herausstellen, zu ergänzen, alle Widersprüche auszugleichen, dies ist die Aufgabe, welche Proklus sich gestellt, und welche er, soweit sie überhaupt lösbar war, mit ebensoviel logischer Meisterschaft als religiöser Begeisterung gelöst hat; et p. 787: Auf dieser merkwürdigen Verbindung von Abstraktionskraft und Phantastik, von Wissens- und Glaubensbedürfnis beruht die philosophische Eigentümlichkeit des Proklus; in ihr liegt auch der Grund jenes Scholastizismus, der ihn unter den griechischen Philosophen auszeichnet. Er besitzt eine seltene Schärfe des logischen Denkens e. q. s. Neque aliter Windelbandius de Proclo nostro iudicat Lehrb. d. Gesch. d. Philos. p. 207 adnot. 1: Persönlich charakterisiert sich dabei P. durch eine merkwürdige, psychologisch höchst interessante Mischung von logischem, bis zur Pedanterie getriebenen Formalismus und überschwenglichster, wundergläubigster Frömmigkeit.

mordiis incipiat et omnibus saltibus vitatis via ac ratione ad finem progrediatur. Domus imagine optime utimur, si Procli proprietatem cognoscere volumus: Fundamentis accurate positis contignationem extruit, quae lapidibus expleatur. Omnia inter se quadrant, nulla lacuna hiat. Atque in hoc aedificio omnia commodissime sunt instituta. Latis scalis, quarum gradus non arduum ascensum praebent, is qui visitat, per totum aedificium ducitur. Qui imago maxime quadrat in Elementa theologica, quo de libello Creuzerus in editionis suae prooemio p. IX sq. iudicium fert hoc: „Compendium dixerim Plotinianae Theologiae sive enchiridium, quo quae plurima Plotinus de deo rebusque divinis disputat, ex multarum Enneadum argumento collecta ordine dialectico disponuntur, brevibusque capitibus inclusa ponuntur ante oculos lectorum, qui ratione ac via edoceri cupiunt de rebus ad theologiae summam pertinentibus.“ Quae cum ita sint, num mirum est posteriores scientiam disciplinae Neoplatonicae a Proclo sumpsisse, qui argumentum in formam tam commodam fuderit? Constat inter omnes scholasticum illum per medium aevum multum valuisse [1]. Quin etiam non modo argumentum sed etiam forma a posteris recepta est. Elias in commentario, quod in Aristotelis Categorias scripsit, confitetur Proclo auctore se Aristotelis philosophiam decem capitibus circumcludere comment. in Aristot. graec. vol. XVIII 1 p. 107: δέκα δέ τισι κεφαλαίοις περικλείομεν τὴν αὐτοῦ φιλοσοφίαν. καὶ πρῶτον ... διὰ τί οὕτως ὠνομάσθη ἡ Ἀριστοτέλους φιλοσοφία Περιπατητική ... δεύτερον τίς ἡ διαίρεσις τῶν Ἀριστοτελικῶν συγγραμμάτων ... τρίτον πόθεν δεῖ ἄρχεσθαι τῶν Ἀριστοτελικῶν συγγραμμάτων ... τέταρτον τί τὸ τέλος αὐτῶν ... πέμπτον τίς ἡ μεταξὺ ὁδός, ἕκτον ποῖον δεῖ εἶναι τὸν ἀκροατήν ... ἕβδομον ποῖον δεῖ εἶναι τὸν ἐξηγητήν ... ὄγδοον τί τὸ εἶδος τῆς φράσεως ... ἔνατον διὰ τί ἀσάφειαν ἐπετήδευσεν ... δέκατον κεφάλαιον πόσα καὶ τίνα δεῖ προλαμβάνειν παντὸς Ἀριστοτελικοῦ βιβλίου. Ταῦτα πάντα τοῦ Πρόκλου λέγοντος δεῖν προλαμβάνειν ἀρχομένους τῶν

---

[1] cf. Zellerum p. 787: Das System des P. bildet insofern nicht bloss den Schlusspunkt der Philosophie, sondern auch das Bindeglied, das ihren Übergang in die mittelalterliche Wissenschaft bezeichnet, die ja auch wirklich aus seiner Schule ... die nachhaltigsten Anregungen geschöpft hat.

Ἀριστοτελικῶν συγγραμμάτων ἐν τῇ συναναγνώσει (σύνταγμα δὲ τοῦτο Πρόκλειον) κτλ. Quo generali prooemio praemisso p. 127 pergit: Δέκατον ἦν κεφάλαιον τῶν προτεθέντων τὸ ζητῆσαι πόσα καὶ τίνα κεφάλαια δεῖ προλαμβάνειν ἐπὶ παντὸς Ἀριστοτελικοῦ συγγράμματος. ἓξ τοίνυν κεφάλαια δεῖ προλαμβάνειν, τὸν σκοπόν, τὸ χρήσιμον καὶ τὰ ἑξῆς. Quae sex partes σκοπός, χρήσιμον, τίς ἡ ἐπιγραφή, εἰ γνήσιον, τίς ἡ τάξις τῆς ἀναγνώσεως, ἡ εἰς μέρη τομή et ipsae Proclo auctore a posterioribus adhibitae sunt. Diadochi discipuli magistrum secuti in prolegomenis ad Aristotelis opera scriptis semper ita egerunt. Prolegomena sic instituta invenimus in Ammonii commentario in Aristotelis de interpretatione librum scripto (ubi p. 181 (Busse) de magistro dicit: ὁ δέ γε ἡμέτερος καθηγεμὼν καὶ εὐεργέτης (Πρόκλος) κανόνας ἡμῖν πάνυ τεχνικοὺς παρεδίδου καθ' οὓς οἷόν τε πάσῃ τῇ προτεθείσῃ προτάσει τὴν ἀκολουθοῦσαν εὑρεῖν atque ibidem ut id, quod in Proclo admiratur, sibi di parent precatur p. 1: εἰ δέ τι καὶ ἡμεῖς δυνηθείημεν εἰσενεγκεῖν περὶ τὴν τοῦ βιβλίου σαφήνειαν ἀπομνημονεύσαντες τῶν ἐξηγήσεων τοῦ θείου ἡμῶν διδασκάλου Πρόκλου τοῦ Πλατωνικοῦ διαδόχου τοῦ εἰς ἄκρον τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως τήν τε ἐξηγητικὴν τῶν δοκούντων τοῖς παλαιοῖς δύναμιν καὶ τὴν ἐπιστημονικὴν τῆς φύσεως τῶν ὄντων κρίσιν ἀσκήσαντος, πολλὴν ἂν τῷ λογίῳ θεῷ χάριν ὁμολογήσαιμεν, cf. Prantl, Gesch. d. Logik I p. 642), in commentariis Asclepii et Simplicii in physica, in Ammonii, Olympiodori, Ioannis Philoponi commentariis in categorias atque in commentariis recentioribus in Porphyrii Isagogen scriptis. Cf. Brinkmann in Mus. Rhen. vol. LXI p. 117 sq. Sed haec praefandi ratio non modo in commentariis ad philosophiam pertinentibus adhibita est. Cf. Georgii Choerobosci Comment. ad Hephaestionis manuale p. 177 sqq. Consbruch. Quantopere Choeroboscus schemate scholastico vinciatur, e verbis, quae περὶ σκοποῦ facit, efficitur ἰστέον ὅτι σκοπὸν ἔχει ὁ μετρικὸς περὶ μέτρων διαλαβεῖν, quod enuntiatum, ut numerum compleret, scripsisse videtur. Vide etiam prolegg. in Hermog. rhet. scripta in Rhet. Graec. vol. IV p. 29 Walz.: Ἀναγκαῖον δέ, ὡς ἔοικεν, εἰ καὶ τοῖς ἄλλοις παρῶπται, τόν τε σκοπὸν ἐξηγήσασθαι τοῦ βιβλίου καὶ τὸ χρήσιμον, εἶτα τὸ γνήσιον, μετὰ ταῦτα τὴν τάξιν, εἶτα τὸν τῆς διδασκαλίας

τρόπον ... ἔπειτα περὶ τῆς ἐπιγραφῆς εἰπεῖν, καὶ ἐπὶ τούτοις περὶ ποῖον εἶδος ἀνάγεται ῥητορικῆς· ταῦτα γὰρ ἐν παντὶ συγγράμματι ζητητέον· οὕτω γὰρ σαφέστερον τὰ ἐφεξῆς καταμάθοιμεν. V. Io. Sicel. com. in Hermog. id. ibid. vol. VI p. 63 sq.: ἐπεὶ δὲ μεθοδικὸν τὸ τεχνίτευμα καὶ προσῆκον εἰς σαφήνειαν προεκθέσθαι, ὥσπερ τινὰ προλαμβανόμενα τῆς μουσικῆς, φέρε τὰ πρὸ παντὸς κανονιστικοῦ βιβλίου λήμματα προζητήσωμεν· ἅ εἰσιν ὁ σκοπός, τὸ χρήσιμον, τὸ γνήσιον, ἡ αἰτία τῆς ἐπιγραφῆς, ἡ τάξις τῆς ἀναγνώσεως, ὁ διδασκαλικὸς τρόπος, ἡ εἰς τὰ κεφάλαια διαίρεσις, καὶ ἡ ὑπὸ ποῖον μέρος τῆς φιλοσοφίας ἀναφορά κτε. Syriani (Phoebammonis) prolegg. in Hermog. περὶ ἰδεῶν ibid. vol. VII 1 p. 99 (vol. I p. 108 Rabe): ἀψώμεθα δὲ τῆς ὑποκειμένης πραγματείας μικρὰ πρότερον διαλεχθέντες περὶ τῆς τοῦ βιβλίου προθεωρίας. δεῖ γὰρ ἐνταῦθα ζητεῖν, ἃ πολυπραγμονεῖν ἔθος ἐπὶ παντὸς βιβλίου μάλιστα τεχνικοῦ ... Ζητεῖν οὖν ὑπερθέμενοι περὶ τοῦ σκοποῦ τοῖς ἐνισταμένοις πρὸς τὴν ἐπιγραφὴν ἀπαντήσωμεν. Prolegg. τῶν στάσεων ibid. p. 17; ibid. p. 40: Ἐπὶ παντὸς δὲ βιβλίου, καὶ μάλιστα τεχνικοῦ, δεῖ τὰ ἓξ ταῦτα ζητεῖν κτλ. In Procli commentariis ad Platonis dialogos scriptis non omnes illas partes tractari mirum non est. Prolegomena, qua proprietate erat scriptum tractandum, aliquid inter se differre dici vix opus est. In commentario in Platonis Rempublicam scripto prooemium in septem partes dividitur: σκοπός, λόγων εἶδος, ὕλη, ceterae partes proprie ad Rempublicam pertinent: διελέσθαι τὰς πολιτείας ... (4) εἰπεῖν ὑπὲρ τῆς ποίας ἐστὶν αὐτῷ πολιτείας ὁ λόγος ... (5) κατιδεῖν εἰ μία μόνον ἢ καὶ πολλαί, καὶ εἰ πολλαί, πόσαι καὶ τίνες ... (6) ἕκτον αὐτὴν πάλιν τὴν ἐγκριθεῖσαν θεάσασθαι ποσαχῶς αὐτὸς ἀξιοῖ Πλάτων ἡμᾶς ὁρᾶν ... (7) τὴν δι' ὅλου τοῦ συγγράμματος διήκουσαν τῶν δογμάτων ἀκολουθίαν ὑπ' ὄψιν ἀγαγεῖν. vol. I p. 6 Kroll. In commentario in Timaeum scripto tractantur σκοπός, εἶδος, ὑπόθεσις; deinde priusquam ad singula transgreditur, quid vox φύσεως significet, disserit Proclus. In commentario in Euclidis Elementa scripto dicit in prologo altero de consilio (σκοπός) et libri partitione (ἡ εἰς μέρη τομή).

Sed haec hactenus. Maxime nostra intererat intellegere philosophi miram quandam artem disserendi et disponendi propriam esse; quare accidit, ut sive ad argumentum sive ad

formam spectas, scholasticus fieret. Conferamus nunc cum philosopho chrestomathiae scriptorem. Hic sibi proposuerat homines studiosos in scientiam grammaticam introducere[1]. Videamus quomodo consilium suum perfecerit. Scholiis Dionysianis adsumptis[2] optime qua via progressus sit, intellegi potest. „Ab ovo vel ab ovo ovi" incipiens et nihil ut notum omittens initium sumit a definitione vocis γράμματος, ut in Elementis Theologicis ab eo quod est Unum proficiscitur (cf. p. 447, 31 Hilg.); quid grammatici sit paucis explicatur (p. 448, 33 sqq. H.), qua re poesis et prosa oratio differant, quot sint genera dicendi; poesis et poeta definiuntur atque poesis generibus enumeratis scriptor deinceps epopoeiam, iambum, elegiam, poesim lyricam atque postremo dramaticam pertractat. In generibus singulis describendis ubique eadem ratione ac distributione utitur ita, ut inventorem, vocis originem, proprietatem, antiquitates commemoret atque postremo loco clarissimorum cuiusque generis scriptorum nomina enumeret. Quibus omnibus enumeratis unicuique capita singula tribuit, quibus eodem ordine semper de patria, genere, aetate, proprietatibus quibusdam et factis certiores fimus. cf. Photii excerpt. p. 230, 21 Westphal.: Διέρχεται δὲ τούτων, ὡς οἷόν τε, καὶ γένος καὶ πατρίδας καί τινας ἐπὶ μέρους πράξεις. Optime quod dixi illustratur illo capite, quo de epopoeia agitur: p. 230, 7 sqq.: Καὶ ὅτι τὸ ἔπος πρῶτον μὲν ἐφεῦρε Φημονόη ἡ Ἀπόλλωνος προφῆτις, ἑξαμέτροις χρησμοῖς χρησαμένη· καὶ ἐπειδὴ τοῖς χρησμοῖς τὰ πράγματα εἵπετο καὶ σύμφωνα ἦν, ἔπος τὸ ἐκ τῶν μέτρων κληθῆναι. Οἳ δέ φασιν, ὅτι διὰ τὴν κατασκευὴν καὶ τὴν ἄγαν ὑπεροχήν, τὴν ἐν τοῖς ἑξαμέτροις θεωρουμένην, τὸ κοινὸν ὄνομα παντὸς τοῦ λόγου τὸ ἑξάμετρον ἰδιώσατο καὶ ἐκλήθη ἔπος, καθάπερ καὶ ὁ Ὅμηρος τὸν ποιητὴν καὶ ὁ Δημοσθένης τὸν ῥήτορα ᾠκειώσατο: ἐπεὶ καὶ τὰ τρίμετρα ἔπη προσηγόρευον. Γεγόνασι δὲ τοῦ ἔπους ποιηταὶ κράτιστοι μὲν Ὅμηρος, Ἡσίοδος, Πείσανδρος, Πανύασις, Ἀντίμαχος. Sequitur Homeri vita. Ut vel ex hoc capite apparet, Proclus diligenter et accurate sententias diversas, quae de quaque re allatae sunt, enumerat[3], quam virtutem etiam saepius cognoscemus. At-

[1] cf. Immischium l. l. p. 245 sqq.

[2] p. 447, 31 sqq. Hilg. Kaibel. Prolegg. π. κ. p. 20 sqq.

[3] cf. Kaibel p. 32, Immisch p. 246.

que haec omnia tam summatim et perspicue instituta capitibus singulis circumcluduntur, ut scriptoris consilium compendii commodi componendi optime effectum sit. Creuzeri verba, quae de Elementis Theologicis fecit, mutatis mutandis in chrestomathiam quadrant. Quod in philosophiae finibus est Στοιχείωσις θεολογική, id in grammaticis χρηστομάθεια γραμματική. Videmus igitur easdem virtutes, quibus Diadochus in scriptis ad philosophiam pertinentibus eminet, in chrestomathia redire. Quare neminem iam, quin chrestomathia Neoplatonico tribuenda sit, dubitaturum esse speramus.

Atque hanc concise scribendi rationem, qualis in chrestomathia invenitur, non nisi in Proclo cognovimus. In argumento quidem plane a prioribus pendet, sed artem, qua argumentum disponat, dividat, coniungat, premat, a nullo ante eum adhibitam videmus; quare quid Proclianum sit, non nimio negotio potest distingui [1]. Priorum liber, qui chrestomathiae plane respondeat, non extat; similes quidem res tractaverunt cum alii tum Dionysius Musicus et Rufus in libris, quibus idem titulus erat Μουσικὴ Ἱστορία, quos inter se seiungendos esse Wentzelius [2] probavit. Ex iis quae Dionysii scribendi rationi diiudicandae praesto sunt (ἐν δὲ τούτοις αὐλητῶν καὶ κιθαρῳδῶν καὶ ποιητῶν παντοίων μέμνηται Suidas in Dionysii vita ex Hesychio sumpta) elucet scriptoris non interfuisse breve et concisum compendium scribere. Id quod vel ex eventu, quem Proclus et Dionysius habuerunt, concludi potest. Huius libri paucae tantum reliquiae memoriam tulerunt; et Scherer l. l. p. 36 ipse concedit explicandum hoc esse auctoritate, qua chrestomathia apud posteros usus fuerit; quam Dionysio „nonnullum detrimentum" intulisse. Melius quam Dionysii cognovimus Rufi librum, cuius de eclogis a Sopatro factis Photius refert cod. 161 p. 103b Bekker. Satis est, ut quae differentia inter Rufi et Procli scripta intercedat notemus, pauca illa verba afferre, quibus primae partis argumentum a Photio significatur: ἐν ᾧ τραγικῶν τε καὶ κωμικῶν

---

[1] Nimis contemptim Wilamowitzius in encycl. Kultur der Gegenwart, Part. I 8 p. 204 iudicat: Pr.... schreibt (d. h. schreibt ab) die Chrestomathie, so etwas wie eine litterar-historische Übersicht der klassischen Poesie.

[2] Hesychiana in Herm. vol. XXXIII (1898) p. 283 sqq.

ποικίλην ἱστορίαν εὑρήσεις. Cum igitur, quem locum singularem chrestomathia obtineat reputaverimus, facile quare eius vestigia tam crebra apud posteriores inveniantur, intellegemus. Quin etiam disponendi schema apud Tzetzam servatum videmus. Tantum abest, ut Byzantinus argumentum traditum sua ipsius ratione ac distributione reddat, ut contra diligentia molesta schema sequatur. Eadem semper ratione usus in commentariis, quae bono commentatori praefanda sint, enumerat, quae praecepta a chrestomathiae scriptore originem ducere nemo, qui legerit, negabit. Optime e Prolegomenis in Hesiodi Opera scriptis, quantopere Tzetzes in Procli vestigiis ingrediatur, cognosci potest (cf. Prellerum l. l. p. 117). Ridiculum est visu Byzantinum illum philosophum, qui consulto paucis tantum commentario suo praefatus est, conviciis consectari et de commentatoris officiis commonere, atque eo magis ridiculum, cum praecepta, quae affert, ex eius quem obiurgat armamentario sumpta sint. Sed Tzetzae verba ipse legas: Poet. graec. min. Gaisford. ed. Lips. p. 10 sq. Ὁ μὲν σοφὸς Πρόκλος ἐπεξηγούμενος τὴν παροῦσαν βίβλον τῶν Ἔργων καὶ Ἡμερῶν τοῦ Ἡσιόδου οὐδὲν γενναῖον καὶ τῆς ἐκείνου σοφίας ἁρμόδιον οὔτε ἄξιον ἐξηγήσεως ἐξειργάσατο. Πρῶτα μὲν γὰρ ἐχρῆν διαίρεσιν φάναι τῶν ποιητῶν καὶ τίνα τούτων χαρακτηρίσματα, καὶ τίνες τούτων οἱ περιβόητοι· ἔπειτα τὸ γένος εἰπεῖν τοῦ προκειμένου πρὸς τὴν ἐξήγησιν, καὶ τίνι συνήκμασε καὶ πόσας βίβλους ἐξεπονήσατο, ποῦ τε καὶ ποίῳ τρόπῳ τὸν βίον κατέλυσεν· εἶτα τὴν βίβλον τούτου προχειρισάμενον πρῶτον μὲν ἀκριβῶς τὸν αὐτοῦ φάναι σκοπόν, μετέπειτα δὲ καὶ τὰς μυθικὰς ἱστορίας εἰς πλάτος, εἶτα καὶ ταύτας ἀλληγορῆσαι, καὶ μέτρα καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ἀναγκαιοτέρων σαφεστέρῳ καὶ διδασκαλικῷ τρόπῳ ἐπεξηγήσασθαι. Deinde postquam misellum Proclum vehementer increpuit, ipse, quae illum neglexisse dicit, facit, cum brevem chrestomathiae conspectum praebet (cf. Kayserum l. l. p. 64). Necessarium esse putat lectorem in quolibet commentario de omnibus poesis generibus et eorum poetis certiorem fieri. In prolegomenis Hesiodeis Tzetzes provocat ad iambos suos περὶ διαφορᾶς ποιητῶν et ad prolegomena in Lycophronis Alexandram scripta p. 12, 13 sqq.: Περὶ μὲν τῆς τῶν ποιητῶν διαιρέσεως καὶ πρῴην μοι ἐπεξείργασται μικρὸν συγγραμμάτιον αὐτοσχεδίοις συντιθέμενον ἰάμβοις,

καὶ τῷ ἐμῷ δὲ ἀδελφῷ ἐκπεπόνηται λίαν κάλλιστα καὶ φιλοτιμότατα περὶ τούτου ἐν τῇ τοῦ Λυκόφρονος ἐξηγήσει. Quibus de scriptis idem faciendum est iudicium, quod de prolegomenis Hesiodeis. Cf. Prolegg. in Lycophr. p. 247 Müller: Τοῖς τῶν ποιητικῶν βίβλων κατάρχεσθαι μέλλουσι δέον εἰδέναι πρῶτον τὰς τῶν ποιητῶν διαφορὰς εἶθ' οὕτως ἐκείνων ταῖς βίβλοις εἰσβάλλειν, ἵν' εἰδοῖεν, ὁποίου εἴδους τῶν ποιητῶν μετέρχονται βίβλους. Τὸ ποιητὴς γὰρ ἀπροσδιορίστως λεγόμενον γενικόν ἐστιν ὄνομα καὶ ὁμώνυμον, εἰς εἴδη διαιρούμενον πλείονα· εἰς τὸν κατ' ἐξοχὴν καὶ ἀπροσδιορίστως λεγόμενον ποιητὴν καὶ εἰς λυρικὸν ποιητήν, εἰς διθυραμβικόν, εἰς ἰαμβογράφον, τραγικόν, σατυρικόν, κωμικόν, εἰς ἐλεγειογράφον, εἰς ἐπιγραμματογράφον τὸν καὶ ἀναθηματικόν, εἰς ὑμνογράφον, εἰς ᾀσματογράφον, τὸν καὶ ἀοιδόν, εἰς ἐπιθαλαμιογράφον, εἰς μονῳδὸν καὶ εἰς μυρία ἕτερα εἴδη, ἅπερ μακρόν ἐστι λέγειν καὶ ὀχληρὸν καίπερ ἀκριβῶς ἐπιστάμενον. Quo conspectu dato singula poesis genera et species pertractat ita, ut Procli compendium exemplo ei fuisse appareat. Similiter in scholiis in Oppiani Halieutica scriptis paucioribus quidem verbis praefatur ed. Bussemaker p. 260b 15 sqq.

2. Vidimus igitur Proclum in chrestomathia non minus quam in scriptis ad philosophiam pertinentibus certa quadam scribendi arte differre a ceteris sui generis scriptoribus, qua, cur tam multum eo usi sint posteri, explicatur. Nobis autem illa proprietas βασάνου loco esse potest in reliquiis Proclianis recognoscendis. Primus Kaibelius chrestomathiam restituere coepit. Fortasse nobis continget, ut pluribus vestigiis inventis aliquid ad compendium amplius restituendum afferamus. Quae spes valde firmatur, cum quas commutationes chrestomathia passa sit meminerimus[1]. E libro genuino eclogarum editio facta est, quam Photius excerpsit. Carminum epicorum hypotheses in Iliadis codicibus Veneto et Escurialensi receptae sunt. Utrum etiam haec excerpta ex eclogarum editione facta sint, ut Iahnius censet, an ad librum genuinum redeant, diiudicare nolo. Id pro certo habeo Homeri vitam non multo ampliorem fuisse, quam quae in Veneto et Escurialensi extat. Verba illa (p. 232, 10 W.) Ἀλλὰ δὴ ταῦτα μὲν πολλῆς ἔχεται

[1] cf. Jahn, Griechische Bilderchroniken p. 97.

ζητήσεως· ἵνα δὲ μηδὲ τούτων ἄπειρος ὑπάρχῃς, διὰ τοῦτο εἰς ταῦτα κατεχώρησα sententiae meae favent. Deinde ab Usenero primo locus qui in scholiis ad Gregorium Nazianzenum scriptis extat (Migne Patrol. Graec. vol. 36 p. 914 c) adhibitus est, secundum quem cyclus epicus separatim editus esse videtur. Suidae denique verba περὶ χρηστομαθίας βιβλία γ premere non audeo. De tota hac quaestione accuratius disserendi infra occasio praebebitur.

Priusquam autem ipsi vestigia nova inquiramus, e re esse videtur, quae adhuc Procliana inventa sunt, componere. Ac primum quidem locos singulos, qui hic illic in scholiis servati sunt, enumerabo.

1. Etymol. Magn. 327, 38 sqq. v. Ἔλεγος: Ἐκ τοῦ περὶ χρηστομαθίας Πρόκλου· „Ὁ μέντοι ἐπικὸς κύκλος ἄρχεται μὲν ἐκ τῆς μυθολογουμένης οὐρανοῦ καὶ γῆς μίξεως· ἀφ' ἧς Ἑκατοντάχειρες γίνονται.“ καὶ ἑξῆς „Διαπορεύεται δὲ τά τε ἄλλως περὶ θεῶν τοῖς Ἕλλησι μυθολογούμενα καὶ εἴ πού τι καὶ πρὸς ἱστορίαν ἐξαληθίζεται. Περατοῦται δὲ ἐκ διαφόρων ποιητῶν συμπληρούμενος μέχρι Ὀδυσσέως· ὧν καὶ ὀνόματα καὶ πατρίδας φησὶν ὁ αὐτός. Σπουδάζεσθαι δὲ τὰ ἐπικοῦ κύκλου ποιήματα οὐχ οὕτω διὰ τὴν ἀρετὴν ὡς διὰ τὴν ἀκολουθίαν τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων. Τὴν δὲ ἐλεγείαν συγκεῖσθαι μὲν ἐξ ἡρῴου καὶ πενταμέτρου στίχου· ἁρμόζειν δὲ τοῖς κατοιχομένοις· καὶ εὐλογεῖσθαι μὲν ὑπ' αὐτοῦ τούτους· οἱ μέντοι μεταγενέστεροι ἐπὶ διαφόροις ὑποθέσεσιν αὐτῷ ἀπεχρήσαντο. Τὸ δὲ ἔπος πρῶτον μὲν ἐφεῦρε Φημονόη ἡ Ἀπόλλωνος προφῆτις ἑξαμέτροις χρησμοῖς ⟨χρησαμένη⟩. Οἷς ἐπεὶ τὰ πράγματα εἵπετο, ἔπος τὸ ἐκ μέτρων ἐκαλεῖτο· ἢ διὰ τὴν κατασκευὴν καὶ τὴν ἄγαν ὑπεροχὴν τὴν ἐν τοῖς ἑξαμέτροις θεωρουμένην τὸ κοινὸν ὄνομα παντὸς λόγου τὸ ἑξάμετρον ἰδιώσατο· καθάπερ Ὅμηρον τὸν ποιητὴν καὶ Δημοσθένην τὸν ῥήτορα· ἐπεὶ καὶ τὰ τρίμετρα ἔπη προσηγόρευσαν.

2. Scholium in Clementis Alexandrini Protrepticum 10, 10 (p. 298 sq. Staehlin), de quo iam Prellerus l. l. p. 118 monuit. Quod scholium extat in codice Parisino 451, quem scribendum curavit Arethas, et eiusdem manu in margine adscriptum est Staehlinio teste. cf. Staehlin, Untersuchungen über die Scholien zu Clemens Alexandrinus, Progr. Norimb. 1897 p. 19. Varias

lectiones codicis Marciani 450 (A) et Marciani 451 (M), qui, ut E. Martini comiter mecum communicavit, sunt principes duarum manuscriptorum familiarum, ad quos omnia recentiora Photii manuscripta redeunt, adnotabo. Codicem M nuper Brinkmannus primus contulit et eius lectiones summa cum liberalitate mecum communicavit. Arethas manuscriptum habebat, quod ad familiam, cuius M est, pertinet.

δάφνης] τῶν δαφνηφορικῶν οὕτως ὀνομαζομένων παρ' ὅσον δάφνας δι' ἐνναετηρίδος εἰς τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος κομίζοντες οἱ ἱερεῖς ἐξύμνουν αὐτόν. αὕτη ἡ αἰτία· τῶν Αἰολέων ὅσοι κατῴκουν Ἄρνην καὶ τὰ ταύτῃ χωρία, κατὰ χρησμὸν ἀναστάντες ἐκεῖθεν καὶ περικαθεζόμενοι Θήβας ἐπόρθουν προκατεχομένας ὑπὸ Πελασγῶν. Κοινῆς ἀμφοῖν ἑορτῆς Ἀπόλλωνος ἐνστάσης ἀνοχὰς ἔθεντο καὶ δάφνας τεμόντες, οἱ μὲν ἐξ Ἑλικῶνος, οἱ δὲ ἐγγὺς τοῦ Μέλανος ποταμοῦ, ἐκόμιζον τῷ Ἀπόλλωνι. Πολεμάτας δέ, ὁ τῶν Βοιωτῶν ἀφηγούμενος, ἔδοξεν ὄναρ νεανίαν τινὰ πανοπλίαν αὐτῷ διδόναι καὶ εὐχὰς ποιεῖσθαι προστάττειν τῷ Ἀπόλλωνι δαφνηφοροῦντας διὰ ἐνναετηρίδος· μετὰ δὲ τρίτην ἡμέραν ἐπιθέμενος κρατεῖ τῶν πολεμίων, καὶ αὐτός τε τὴν δαφνηφορίαν ἐτέλει καὶ τὸ ἔθος ἐκεῖθεν διατηρεῖται. Ἡ δὲ δαφνηφορία· ξύλον ἐλαίας καταστέφουσι δάφναις ποικίλοις ἄνθεσι καὶ ἐπ' ἄκρου μὲν χαλκῆ ἐφαρμόζεται σφαῖρα, ἐκ δὲ ταύτης μικροτέρας ἐπαρτῶσι· κατὰ δὲ τὸ μέσον τοῦ ξύλου περιθέντες ἐλάσσονα τῆς ἐπ' ἄκρου τοῦ ξύλου καθάπτουσι πορφυρᾶ στέμματα· τὰ δὲ τελευταῖα τοῦ ξύλου περιστέφουσι κροκωτῷ. Βούλεται δ' αὐτοῖς ἡ μὲν ἀνωτάτω σφαῖρα τὸν ἥλιον, ᾧ καὶ τὸν Ἀπόλλωνα ἀναφέρουσιν, ἡ δὲ ὑποκειμένη τὴν σελήνην· τὰ δὲ προσηρτημένα τῶν σφαιρίων ἄστρα τε καὶ ἀστέρας· τὰ δὲ στέμματα τὸν ἐνιαύσιον δρόμον· καὶ γὰρ καὶ τξε' ποιοῦσιν αὐτά. Ἄρχει δὲ τῆς δαφνηφορίας παῖς ἀμφιθαλής· καὶ ὁ μάλιστα αὐτῷ οἰκεῖος βαστάζει τὸ κατεστεμμένον ξύλον, ὃ κωπὼ καλοῦσιν· αὐτὸς δὲ ὁ

Var. lect. v. 1. Τὰ δὲ λεγόμενα παρθένια χοροῖς παρθένων ἐνεγράφετο· οἷς καὶ τὰ δαφνηφορικὰ ὡς εἰς γένος· δάφνας γὰρ ἐν Βοιωτίᾳ δι' ἐνναετηρίδος κτε. A. eadem praebet ἐν Βοιωτίᾳ omissis M || 3 post αὐτόν add. διὰ χοροῦ παρθένων A || 4 καὶ ἡ αἰτία AM || 5 προσκαθεζόμενοι AM προσκαθεζομένας pro προκατεχομένας M || 7 τέμνοντες A || 10/11 προστάττειν post ἐνναετηρίδος positum A || 14 δάφναις καὶ A || 15/16 σφαίρας pro τοῦ ξύλου A || 21 γε post δὲ Westphal. || 24 κώπω A

δαφνηφόρος ἑπόμενος τῆς δάφνης ἐφάπτεται, τὰς μὲν κόμας καθειμένος, χρυσοῦν δὲ στέφανον φέρων καὶ λαμπρὰν ἐσθῆτα ποδήρη ἐστολισμένος ἰφικρατίδας τε ὑποδεδεμένος· ᾧ χορὸς παρθένων ἐπακολουθεῖ, προτείνων κλῶνας πρὸς ἱκετηρίαν τῶν ὕμνων· παρέπεμπον δὲ τὴν δαφνηφορίαν εἰς Ἀπόλλωνος Ἰσμηνίου τοῦ Γαλαξίου.

3. Scholium ad Eusebii Praeparationem Euangelicam p. 39 d Steph. cf. edit. Dindorf. praefat. p. V. Quod scholium in eodem codice Parisino 451, quo scholium Clementinum extat neque quin et ipsum ab Aretha adscriptum sit dubium est.

(τοὺς περὶ τὸν ἐπικὸν καλούμενον κύκλον ποιητὰς λέγει.) οὗτος ὁ ἐπικὸς καλούμενος κύκλος ἄρχεται μὲν ἐκ τῆς οὐρανοῦ καὶ γῆς μίξεως μυθολογουμένης, καὶ περατοῦται συμπληρούμενος ἐκ διαφόρων ποιητῶν μέχρι τῆς εἰς Ἰθάκην ἀποβάσεως Ὀδυσσέως, ἐν ᾗ καὶ ὑπὸ τοῦ παιδὸς Τηλεγόνου ἀγνοούμενος ὡς πατὴρ εἴη κτείνεται.

Var. lect. 2 καθειμένας M || 3 ἐπικρατίδας A || 13 μυθολ. μίξεως AM || 14 ἐκ διαφ. ποιητ. συμπλ. A | μέχρι τῆς ἀποβ. Ὀδ. τῆς εἰς Ἰθάκ. A || 15 ἀγνοοῦντος A | ὡς πατὴρ εἴη om. A

4. Adsero brevem conspectum, quem Michael Italicus[1]) in epistula ad medicum scripta e primis duobus chrestomathiae libris composuit. Quae epistula primum edita est a Cramero Anecd. Oxon. vol. III p. 158 sqq. sub numero XXI. Conspectum illum e chrestomathia sumptum esse cognovit Usenerus (Mus. Rhen. vol. XXVIII [1873] p. 414).

p. 189 (Cramer.): Τὰ Φημονόης ἂν σοι διεξῆλθον καὶ Δημοῦς τῆς γραμματικῆς τῆς μὲν ἔπος εὑρούσης τῆς δὲ τέχνας συγγραψαμένης· εἶπον ἂν καὶ τίνες μὲν τοῦ ἔπους γεγόνασι κράτιστοι ποιηταί, ὧν ὁ Πανίασις (sic!) γνωριμώτατος μετὰ Ὅμηρον· τίς δὲ ὁ Ἐπικὸς κύκλος· τίνα δὲ Στασίνῳ τὰ Κύπρια· τίς δὲ ἡ μελικὴ ποίησις, καὶ εἰς πόσα διῄρηται καὶ ποῖα μὲν τῆς μελικῆς εἰς θεοὺς ἀναφέρεται, καὶ λέγεται ὕμνος Ἀδώνιδος· τίνα δὲ εἰς ἀνθρώπους καὶ ὀνομάζεται ἐγκώμια· ἐπινίκια· σκολιά· γίλλος (sic!)· θρῆνοι· ποῖα δὲ καὶ τὰ ἐξ ἀμφοῖν συγκεί-

[1] cf. Treu, Byzant. Zeitschr. vol. IV (1895) p. 1 sqq.

μενα καὶ λέγεται παρθενικά· δαφνηφορικά· ὀσχοφορικά· καὶ τί ἐστι τούτων ἕκαστον.

Cum Michaelis conspectus et usque ad poesim lyricam perveniat poesi dramatica neglecta et plura praebeat quam Photius duobus locis (iuxta Phemonoam nominat Demo grammaticam — τῆς δὲ τέχνας συγγραψαμένης — et ad Panyasis nomen addit γνωριμώτατος μετὰ Ὅμηρον), epistolographum non e Photio sed ex eclogarum editione ipsa hausisse Immischius probavit l. l. p. 241; cf. etiam Usenerum l. l. p. 414.

5. Quae in scholio in Platonis Rempublicam 394 c (p. 337 Hermann.) de dithyrambo dicuntur, Procliana sunt. Cf. Mettauer De Plat. schol. fontib. p. 36. Utrum scholiasta e Photio an e Proclo ipso hauserit, Mettauerus in incerto relinquit. Sed scholium e libro genuino fluxisse propterea pro certo habendum est, quod et scholium in fine plura praebet quam Photius et scholium antecedens, quo de tragoedia et comoedia a Photio et eclogarum editore (cf. supra) omissis agitur, ipsum quoque ad Proclum redit. Qua de re infra amplius disseretur (cf. Mettauerum p. 36; Scherer De Ael. Dionys. Mus. p. 45 adn.). Neque igitur scholiastam et Photio et Proclo genuino usum esse veri est simile. In eo quod scholium, quo de dithyrambo agitur, ad verbum fere cum Photii excerpto congruit non est quod offendamus, cum eam partem, qua de poesi lyrica agitur Photius paulo tantum abbreviatam transscripserit.

scholium:	Photius:
Ὁ δὲ διθύραμβος γράφεται μὲν εἰς Διόνυσον, κεκινημένος καὶ πολὺ τὸ ἐνθουσιῶδες μετὰ χορείας ἔχων, κέκληται δὲ ἀπὸ τῶν συμβάντων περὶ αὐτόν· ὀνομάζεται γὰρ οὕτως ἢ ἀπὸ τοῦ κατὰ τὴν Νύσαν ὑπὸ ἄντρῳ διθύρῳ τραφῆναι, ἢ διὰ τὸ λυθέντων τῶν ῥαμμάτων ἐκ τοῦ Διὸς μηροῦ εὑρεθῆναι, ἢ διὰ τὸ δόξαι γενέσθαι δίς, ἔκ τε τῆς Σεμέλης καὶ τοῦ μηροῦ	p. 245, 14 Ἔστιν οὖν ὁ μὲν διθύραμβος κεκινημένος καὶ πολὺ τὸ ἐνθουσιῶδες μετὰ χορείας ἐμφαίνων, ... et p. 244, 19 sqq. ὁ δὲ διθύραμβος γράφεται μὲν εἰς Διόνυσον, προσαγορεύεται δὲ ἐξ αὐτοῦ, ἤτοι διὰ τὸ κατὰ τὴν Νύσαν ἐπ' ἄντρῳ διθύρῳ τραφῆναι τὸν Διόνυσον, ἢ διὰ τὸ λυθέντων τῶν ῥαμμάτων τοῦ Διὸς εὑρεθῆναι αὐτόν, ἢ διότι δὶς δοκεῖ

τοῦ Διός. εὑρεθῆναι μὲν τὸν διθύραμβον ἐν Κορίνθῳ ὑπὸ Ἀρίονός φασι. τῶν δὲ ποιητῶν τῷ μὲν πρώτῳ βοῦς ἔπαθλον ἦν, τῷ δὲ δευτέρῳ ἀμφορεύς, τῷ δὲ τρίτῳ τράγος, ὃν τρυγὶ κεχρισμένον ἀπῆγον.

γενέσθαι, ἅπαξ μὲν ἐκ τῆς Σεμέλης, δεύτερον δὲ ἐκ τοῦ μηροῦ. Εὑρεθῆναι δὲ τὸν διθύραμβον Πίνδαρος ἐν Κορίνθῳ λέγει· τὸν δὲ ἀρξάμενον τῆς ᾠδῆς Ἀριστοτέλης Ἀρίονά φησιν εἶναι, ὃς πρῶτος τὸν κύκλιον ἤγαγε χορόν.

6. Scholium Pind. Olymp. XIII 26, quo ipso quoque de dithyrambo agitur, addo, cum Proclum sapiat:

(Βοηλάτην καλεῖ τὸν διθύραμβον) ἢ διότι τῷ κατορθώσαντι αὐτὸν βοῦς ἐδίδοτο ἆθλον, ἢ διότι ἐλαύνετο τε καὶ ἐτελεῖτο. ὁ δὲ διθύραμβος χορὸς ἦν κυκλικὸς πρὸς τὸν Διόνυσον, ἐλέγετο δὲ διθύραμβος ἀπὸ τοῦ Διονύσου τοῦ ἐκ δύο θυρῶν ἐξελθόντος, ἔκ τε τῆς μητρῴας αὐτοῦ γαστρὸς καὶ τοῦ μηροῦ τοῦ Διός· εὗρον δὲ οἱ Κορίνθιοι πρῶτον τοῦτον ἐν τοῖς Διονυσιακοῖς.

Deinde enumerabo partes scholiorum in Dionysii Thracis artem scriptorum, quae Kaibelius a chrestomathia originem ducere probavit in prolegomenis περὶ κωμῳδίας. Atque primum locum obtineat fragmentum illud longum in scholiis Londinensibus extans, quod ad prooemii et poesis lyricae partis scientiam nostram amplificandam multum affert: p. 449, 4—452, 14 Hilg. cf. Kaibelium p. 18 sqq. Quae inde a p. 450, 10 usque ad p. 451, 2 extant, Kaibelius respicere nondum poterat, cum codice Matritensi (E) tantum praebeantur, quem codicem Hilgardius primus excutiendum curavit. Quam partem non minus e Procli compendio fluxisse facile probatur, quoniam Photii excerptum nobis praesto est, quo ommia illa lemmata uno de embaterio excepto inveniuntur. Cf. Immischium p. 248.

Quin Proclus etiam de significationibus vocis γράμμα (cf. p. 447, 31 sqq. Hilg.) et de grammatici officiis (p. 448, 32) egerit, non est dubium; cf. Kaibelium p. 27 sq.

Proclum περὶ κρίσεως egisse apparet e Photii verbis p. 230, 1 sq. W.: Διαλαμβάνει δὲ καὶ περὶ κρίσεως ποιήματος, ἐν ᾧ παραδίδωσιν ἤθους καὶ πάθους διαφοράν. Qualia fere in chrestomathia extiterint, e scholiis discimus (cf. Kaibelium p. 30):

Comment. Melamp. s. Diomed. p. 15 Hilg.
Schol. Vatic. p. 169 sqq.
Schol. Marc. p. 304.
Schol. Londin. p. 471 sqq.
Comment. Byz. p. 568.

In omnibus scholiis Dionysianis sub titulo Περὶ ἀναγνώσεως disseritur de tragoedia, comoedia, elegia, epopoeia, poesi lyrica, threnis, quae capita maximam in partem e chrestomathia hausta sunt:

Com. Melamp. s. Diomed. p. 17, 16—21, 28.
Schol. Vatic. p. 172, 17—174, 13.
Schol. Marc. p. 306, 7—308, 27.
Schol. Londin. p. 475, 1—477, 7.
Com. Byzant. p. 569, 17—44.

Quae in scholiis de rapsodia et Pisistrati recensione praebentur, in chrestomathia non neglecta erant, ut Kaibelius demonstravit p. 31, 2 et p. 26.

Cf. Com. Melamp. s. Diomed. p. 28, 10—30, 24.
Schol. Vatic. p. 179, 5—180, 30.
Schol. Marc. p. 314, 17—316, 20.
Schol. Lond. p. 480, 16—481, 26.

Scholiis Dionysianis intercedentibus Tzetzes Byzantinus in omnibus fere scriptis suis Proclo usus est. Non secundum paragraphos et versus, quo ex fonte singula ille hauserit, demonstrari posse consentaneum est. Scripta dico haec:

1. In Aristophanem bis bina prooemia περὶ κωμῳδίας, (litteris Pa Pb et Ma Mb a Kaibelio significata), quae invenies in Kaibelii Comicorum Graecorum fragmentorum vol. I p. 17 sqq. Prooemia Pa[1] et Pb primum edita a Cramero in Anecd. Paris. vol. I p. 3 iterum recensuit Studemundus in Philologi vol. XLVI p. 1 sqq. Alterum par Ma et Mb, quod titulum fert Βίβλος Ἀριστοφάνους Τζέτζην φορέουσ' ὑποφήτην, primum editum est a Keilio in Mus. Rhen. vol. VI (1848) p. 108 sqq.

---

[1] Tres tractatus Pa partes respondent anonymis IV, V, VI apud Duebnerum. Cf. Kaibelium p. 11 sqq.

2. Τοῦ αὐτοῦ (Τζέτζου) ἴαμβοι τεχνικοὶ περὶ κωμῳδίας: Kaibel Com. Graec. fr. p. 40 sqq.

3. Eiusdem iambi Περὶ τραγικῆς ποιήσεως: Com. Gr. fr. p. 43 sqq.

In eandem seriem inserenda est Etymologici Magni glossa s. v. τραγῳδία p. 764, 1; in Kaibelii Com. fr. p. 16.

De ceteris Tzetzae scriptis, quibus omnia poesis genera tractantur, post Kaibelium accuratius egit Kayserus De veterum arte poetica quaestiones selectae Diss. Lips. 1906. Sunt haec:

4. Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου στίχοι περὶ διαφορᾶς ποιητῶν Com. Gr. fr. p. 34 sqq.

5. Prolegomena ad Lycophronis Alexandram conscripta (ed. Müller Tzetz. Scholia in Lycophr. vol. I p. 247 sqq.).

6. Prolegomena ad Hesiodum scripta (ed. Gaisford. Poet. minor. Graec. vol. II p. 10 sqq. ed. Lips.) [1].

7. Huc accedit tractatus, quem Kayserus in dissertatione p. 56 sqq. publici iuris fecit e codice Estensi α V 9, 22 (quondam III C 14). Sunt Prolegomena in Theocritum scripta, quae Kayserus ceteris Tzetzae prolegomenis collatis Byzantino illi magna cum veri specie assignavit. Tzetzes non bucolica tantum tractare satis habuit, sed ut solet primis duobus capitibus de ceteris omnibus poesis generibus disseruit atque multo fusius quam in prolegomenis in Hesiodum aut Lycophronem scriptis.

Conferatur etiam Constantini Lascaris de poeta liber (Migne Patrol. Graec. vol. 161, 951—954), quem Kayserus optimo iure una cum scholiis Dionysianis et Tzetzae scriptis tractat p. 64 sqq. Praecipue quae περὶ διαιρέσεως ποιητῶν dicuntur, ad scripta supra allata referenda sunt.

---

[1] Tzetzae prolegomenis in Hesiodi Opera scriptis usus est Palaeocappa in tractatu περὶ τάξεως ποιητῶν, cui Andronici nomen dedit (cf. Cohn in comment. philol. in honorem M. Hertzii script. p. 130 sqq.). Tractatus editus est e cod. Paris. 2929 in Crameri An. Graec. III p. 1461.

II.

1. In novis chrestomathiae vestigiis inquirendis primum viam, quam Kaibelius ingressus est, sequi possumus. De anonymo περὶ κωμῳδίας, quo nomine inter omnes notus est (II Kaibel, III Duebner) dicit Com. Gr. fr. p. 6 adn.: „Commentariolum hoc haud dubie ex litterariae historiae compendio aliquo sive Procli id fuit sive simile aliud excerptum esse“ [1]. Neque vero ille primus fuit, qui quanti momenti esset et ad quam bonos fontes rediret hic tractatus, cognoverit. Ab omnibus, quibus de eo disserendi occasio dabatur, laudem debitam accepit. Velut a Meinekio „accuratissimus scriptor et optimis auctoribus usus“ appellatur. Similiter Bergk, Comment. de com. Att. a. reliq. p. 269; Lorenz, Leben u. Schriften d. Koers Epicharm p. 14; Fielitz De Atticorum comoedia bipartita Bonn 1866 p. 29; Wilamowitz Herm. vol. IX p. 335. Sed nostra maxime interest scribendi rationem memoratu praecipue dignam esse. Ac priusquam ipse hac de re iudicium feram, testem dicentem faciam, quem plane integrum esse omnes concedent propterea, quod de tractatus origine aliter iudicat ac nos. Meklerus [2] anonymum significat his: „In ihrer prägnanten Gedrungenheit bieten diese wortkargen Urteile über das Wesentliche der Epochen und die Eigenart der Meister . . . jede mögliche Gewähr der Herleitung aus trefflichen Ursprüngen“; atque p. 41 scriptorem nostrum „den Meister des kompendiösen Lapidarstils“ nominat. Quod de anonymo iudicium cum eo consentit, quod de Procli scribendi ratione fecimus. Orationis brevitatem et dispositionem, quam in Proclo cognovimus, etiam hic invenimus, quas virtutes non excerptori tribuimus. Excerptum tantum in manibus nos habere vix dici opus est. In Proclo potissimum premendum est genuini libri proprietatem, quotienscumque chrestomathia exscripta est, tamen ubique facile recognosci posse; cuius rei exemplo sunt Photii excerpta; neque enim

---

[1] cf. Leo, Griech.-Röm. Biographie p. 31.

[2] Zu den Nachrichten über die griechische Komödie (Com. in honorem Io. Vahleni script. 1900) p. 43.

iam cum Prellero (l. l. p. 109) dubitabimus, utrum virtutes illae „die Präzision und gedrängte Kürze, welche die Chrestomathie so vorteilhaft charakterisiert“ eclogis an Procli operi ipsi dandae sint. Proclus, quae scitu digna putabat, iam in formam tam artam fudit, ut excerptores eius vinculis quasi tenerentur. Accedit, quod Proclus non ut alii omnes sententias in unam narrationem pragmaticam, ut ita dicam, confundebat sed eas singulas enumerare satis habebat. Ita res se habet in anonymi tractatu, quem ad Proclum redire his indiciis usi intellegemus. Nam scriptum genuinum versibus compositum fuisse dubito num quis Meklero assensus sit; quae versuum vestigia invenisse sibi visus est, nihili sunt. Velut, quid in verbis πρῶτος μεθύοντας ἐν κωμῳδίᾳ παρήγαγεν (p. 7, 30) a prosae orationis verborum ordine alienum est? quid in verbis (p. 8, 33 sq.) τοῦ μὲν λοιδορεῖν ἀπέστη, πράγματα δὲ εἰσηγούμενος καινὰ ηὐδοκίμει, γενόμενος εὑρετικὸς μύθων? Meklerus eo tantum rhythmum efficit, quod nonnulla inserit. Quam facile autem sit e prosa oratione versus trimetros componere constat et satis est Kockii monere, qui magnas Alciphronis epistularum et Luciani dialogorum partes in iambos versus transformavit.

Ne in brevi quidem prooemio, quo de comoediae origine anonymus agit, vestigia dispositionis Proclianae oblitterata sunt, quod eo magis est monendum, cum scriptoris maxime interesset ad comicorum singulorum vitas properare. Ut ipse iudices, anonymi tractatus initium cum chrestomathiae capite, quo de epopoeia agitur, componam:

anonym.	chrestom.
Τὴν κωμῳδίαν ηὑρῆσθαί φασιν ὑπὸ Σουσαρίωνος· τὴν δὲ ὀνομασίαν ἔχειν οἳ μὲν ὅτι περὶ τὰς κώμας περιιόντες ᾖδον καὶ ἐπεδείκνυντο, μήπω πόλεων οὐσῶν ἀλλ' ἐν κώμαις οἰκούντων τῶν ἀνθρώπων, οἳ δὲ ἀντιλέγοντές φασι μὴ κώμας καλεῖσθαι παρ' Ἀθηναίοις ἀλλὰ δήμους, καὶ κωμῳδίαν αὐτὴν καλοῦσιν ἐπεὶ ἐν	Καὶ ὅτι τὸ ἔπος πρῶτον μὲν ἐφεῦρε Φημονόη ἡ Ἀπόλλωνος προφῆτις, ἑξαμέτροις χρησμοῖς χρησαμένη· καὶ ἐπειδὴ τοῖς χρησμοῖς τὰ πράγματα εἵπετο καὶ σύμφωνα ἦν, ἔπος τὸ ἐκ τῶν μέτρων κληθῆναι. οἳ δέ φασιν, ὅτι διὰ τὴν κατασκευὴν καὶ τὴν ἄγαν ὑπεροχήν τὴν ἐν τοῖς ἑξαμέτροις θεωρουμένην τὸ κοινὸν ὄνομα παντὸς

ταῖς ὁδοῖς ἐκώμαζον. τὴν αὐτὴν δὲ καὶ τρυγῳδίαν φασὶ διὰ τὸ τοῖς εὐδοκιμοῦσιν ἐπὶ τῷ Ληναίῳ (ἀπὸ τοῦ ληνοῦ coniecit Brinkmann) γλεῦκος δίδοσθαι, ὅπερ ἐκάλουν τρύγα, ἢ ὅτι μήπω προσωπείων ηὑρημένων τρυγὶ διαχρίοντες τὰ πρόσωπα ὑπεκρίνοντο.

τοῦ λόγου τὸ ἑξάμετρον ἰδιώσατο καὶ ἐκλήθη ἔπος κτλ.

Etiam melius Proclum recognoscimus in comicis singulis describendis. Singulis comoediae periodis breviter notatis singularum scriptores enumerantur et deinceps describuntur. Photii illa verba Διέρχεται δὲ τούτων ὡς οἷόν τε καὶ γένος καὶ πατρίδας καί τινας ἐπὶ μέρους πράξεις apprime in anonymum istum quadrant. Ut paucioribus verbis plura dicantur, fieri vix potest. Id verbum, quo enuntiati cuiusque titulus exprimitur, in initio positum est, ut indicis loco scripto hoc uti posset lector. Velut in eis, quae de Epicharmo dicuntur v. 16 sqq.: οὗτος πρῶτος τὴν κωμῳδίαν διερριμμένην ἀνεκτήσατο πολλὰ προσφιλοτεχνήσας. χρόνοις δὲ γέγονε ... τῇ δὲ ποιήσει γνωμικὸς ... σῴζεται δὲ αὐτοῦ ... Quodlibet caput eximere licet, ut, quod diximus, illustretur, § 11: Ἀριστοφάνης Φιλίππου Ἀθηναῖος, μακρῷ λογιώτατος Ἀθηναίων καὶ εὐφυίᾳ πάντας ὑπεραίρων. Ζηλῶν δὲ Εὐριπίδην ... τοῖς δὲ μέλεσι λεπτότερος. ἐδίδαξε δὲ πρῶτον ἐπὶ ἄρχοντος Διοτίμου διὰ Καλλιστράτου· τὰς μὲν γὰρ πολιτικὰς τούτῳ φασὶν αὐτὸν διδόναι κτλ. § 13: Ἀντιφάνης μὲν οὖν Στεφάνου Ἀθηναῖος ... καὶ ἤρξατο διδάσκειν μετὰ τὴν ϛη′ ὀλυμπιάδα. καὶ φασὶν αὐτὸν γενέσθαι μὲν τῶν ἀπὸ Θεσσαλίας ἐκ Λαρίσσης, παρεγγραφῆναι δὲ εἰς τὴν Ἀθηναίων πολιτείαν ὑπὸ Δημοσθένους. γενέσθαι δὲ λέγουσιν αὐτὸν εὐφυέστατον εἰς τὸ γράφειν καὶ δραματοποιεῖν. ἐτελεύτησε δὲ ... τῶν δὲ κωμῳδιῶν αὐτοῦ τινας καὶ ὁ Στέφανος ἐδίδαξεν. ἔστι δὲ αὐτοῦ δράματα σξ′.

Certa quadam ratione singula capita in totum scriptum inseruntur, certis quibusdam particulis inducuntur, velut v. 11: οἱ μὲν οὖν τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιηταὶ ... v. 49: τῆς δὲ μέσης ... v. 63: τῆς δὲ νέας ... Deinde primus quisque

periodorum singularum poeta particulis μὲν οὖν inducitur, cf. v. 55: Ἀντιφάνης μὲν οὖν Στεφάνου Ἀθηναῖος... v. 66: Φιλήμων μὲν οὖν Δάμωνος Συρακόσιος. Illi μὲν respondet particula δέ, qua secundus quisque affertur; cf. v. 20: Μάγνης δὲ Ἀθηναῖος. v. 69: Μένανδρος δὲ Διοπείθους υἱὸς Ἀθηναῖος. Quod si animadvertimus, etiam lacunam, quae v. 16 ante Epicharmi vitam hiat, ut monuit Brinkmannus, explere possumus: ⟨Ἐπίχαρμος μὲν οὖν Τιτύρου ἢ Χιμάρου Συρακόσιος⟩. Ἐπίχαρμος iam suppleverat Dindorfius, Συρακόσιος Kaibelius. Patris nomen, quod non defuit, ex Suida sumpsimus[1].

Ut vel ex locis supra exscriptis apparet, κρίσις ποιημάτων in comicis notandis et eligendis maximas partes agit, id quod rursus anonymum ad Procli scriptum redire veri similius reddit. Merito enim Immischius Photii verbis διαλαμβάνει δὲ καὶ περὶ κρίσεως ποιήματος, ἐν ᾧ παραδίδωσιν ἤθους καὶ πάθους διαφοράν (230, 1 sq.) maximam vim dedit et demonstravit, illa ratione totam chrestomathiam aestimandam esse (l. l. p. 246 sq.); cf. etiam Kaibeli prolegg. p. 20 sqq. et 30 sq. In anonymo eadem iudicandi verba sollemnia atque in chrestomathia occurrunt. Confer:

anon.

v. 11 sq. οἱ μὲν οὖν τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιηταὶ οὐχ ὑποθέσεως ἀληθοῦς κτλ.

v. 13 comoediarum numerus indicatur spuriis inclusis: σὺν τοῖς ψευδεπιγράφοις.

v. 18 τῇ δὲ ποιήσει γνωμικὸς καὶ εὑρετικὸς καὶ φιλότεχνος (Epicharmus).

v. 26 γέγονε δὲ ποιητικώτατος, κατασκευάζων εἰς τὸν Αἰσχύλου χαρακτῆρα (Cratinus).

schol. Dionys.

p. 303, 36—304, 5 ὕλη γὰρ ποιητικῆς μῦθος, μέτρον, λέξις, ἱστορία, γλῶσσα καὶ τούτων τεχνίτης ὁ γραμματικός. Κρίνει δὲ [ὡς] οὐ, πότερον αὐτοῖς καλῶς γέγραπται ἢ οὔ, ἀλλὰ ποῖα ἀνόμοια καὶ ποῖα ὅμοια, καὶ ποῖα νόθα τῶν ποιημάτων καὶ ποῖα γνήσια. Κρίνεται δὲ ἡ ποίησις χρόνῳ, λέξει, ἱστορίᾳ πλάσματι συνθέσει, κυριολογίᾳ, οἰκονομίᾳ τάξει, ἤθει, προσώπῳ.

---

[1] Etiam placitorum consuetudo erat haec, ut patris patriaeque nomen adderetur, cf. Elter, De Io. Stobaei cod. Photiano p. 19.

v. 29 πάνυ γελοῖος καὶ ἱλαρὸς γενόμενος (Crates).

v. 33 sq. ἐζήλωκε Κράτητα καὶ αὖ τοῦ μὲν λοιδορεῖν ἀπέστη, πράγματα δὲ εἰσηγούμενος καινὰ ηὐδοκίμει, γενόμενος εὑρετικὸς μύθων (Pherecrates).

v. 38 sq. γεγονὼς δυνατὸς τῇ λέξει, καὶ ζηλῶν Κρατῖνον καὶ πολὺ τὸ· λοίδορον καὶ σκαιὸν ἐμφαίνει (Eupolis).

v. 41 sq. μακρῷ λογιώτατος Ἀθηναίων καὶ εὐφυίᾳ πάντας ὑπεραίρων (Aristophanes).

v. 49 sqq. τῆς δὲ μέσης κωμῳδίας οἱ ποιηταὶ πλάσματος μὲν οὐχ ἥψαντο ποιητικοῦ, διὰ δὲ τῆς συνήθους ἰόντες λαλιᾶς λογικὰς ἔχουσι τὰς ἀρετάς, ὥστε σπάνιον ποιητικὸν εἶναι χαρακτῆρα παρ' αὐτοῖς, κατασχολοῦνται δὲ πάντες περὶ τὰς ὑποθέσεις.

Vide etiam Antiphanis et Menandri lemmata.

p. 449, 4 sq. Ποιητὴς δὲ κεκόσμηται τοῖς τέσσαρσι τούτοις, μέτρῳ, μύθῳ ⟨ἢ πλάσματι⟩, ἱστορίᾳ καὶ ποιᾷ λέξει.

p. 229, 8 Καὶ ἐν μὲν τῷ πρώτῳ λέγει, ὡς αἱ αὐταί εἰσιν ἀρεταὶ τοῦ λόγου καὶ ποιήματος.

p. 230, 1 sq. Διαλαμβάνει δὲ καὶ περὶ κρίσεως ποιήματος, ἐν ᾧ παραδίδωσιν ἤθους καὶ πάθους διαφοράν.

p. 229, 10 Καὶ ὅτι τοῦ πλάσματος κτλ.

p. 232, 17 sqq. τοσοῦτον γὰρ ἀπέχουσι τῷ γένει προσήκειν, ὅσον ἡ ποίησις διέστηκεν αὐτῶν (Homerus et Hesiodus).

p. 233, 20 sqq. Διαπορεύεται δὲ τά τε ἄλλως περὶ θεῶν τοῖς Ἕλλησι μυθολογούμενα καὶ εἴ πού τι καὶ πρὸς ἱστορίαν ἐξαληθίζεται κτλ.

p. 241, 30 sqq. Λέγει δὲ ὡς τοῦ ἐπικοῦ κύκλου τὰ ποιήματα διασῴζεται καὶ σπουδάζεται τοῖς πολλοῖς οὐχ οὕτω διὰ τὴν ἀρετὴν ὡς διὰ τὴν ἀκολουθίαν τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων.

Eodem spectat, quod pari ratione in anonymo et apud Photium poetarum indices inducuntur, velut cf. anonymi v. 14 τούτων (comic. antiqu.) δέ εἰσιν ἀξιολογώτατοι, item v. 53 sq. et v. 63 sq. cum Phot. p. 230, 19 Γεγόνασι δὲ τοῦ ἔπους ποιηταὶ κράτιστοι κτλ.; p. 242, 19 sq. Λέγει δὲ καὶ ἀριστεῦσαι τῷ μέτρῳ (ἐλεγείῳ).

Postquam adhuc anonymi scribendi rationem cum Procliana plane congruere vidimus, nunc nobis inquirendum est num etiam argumentum, quod in tractatu praebetur, eis quae

Procliana esse e scholiis Dionysianis et Tzetzae tractatibus didicimus, respondeat. Nimirum hac in quaestione de prooemio et periodorum descriptione tantum agitur. Qua in re probanda adminiculo nobis est scholium in Platonis Rempublicam (394 c) scriptum, quo de tragoedia et comoedia agitur et quod e chrestomathia sumptum esse iam Mettauerus (l. l. p. 36) si non probavit at tamen suspicatus est. Scholium ut e Procli compendio fluxisse existimemus vel eo commovemur, quod scholium, quo de dithyrambo agitur, sequitur, quod Proclianum esse supra diximus. In utroque loco scholiastam eodem fonte usum esse veri est simillimum. Neque ne hoc credamus argumento impedimur. Scholium, quantum comoediam attinet, iuxta anonymi caput positum exscribam:

anonym.	schol.
τὴν κωμῳδίαν ηὑρῆσθαί φασιν ὑπὸ Σουσαρίωνος· τὴν δὲ ὀνομασίαν ἔχειν οἳ μὲν ὅτι περὶ τὰς κώμας περιιόντες ᾖδον καὶ ἐπεδείκνυντο, μήπω πόλεων οὐσῶν ἀλλ' ἐν κώμαις οἰκούντων τῶν ἀνθρώπων, οἳ δὲ ἀντιλέγοντές φασι μὴ κώμας καλεῖσθαι παρ' Ἀθηναίοις ἀλλὰ δήμους, καὶ κωμῳδίαν αὐτὴν καλοῦσιν, ἐπεὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐκώμαζον. τὴν αὐτὴν δὲ καὶ τρυγῳδίαν φασὶ διὰ τὸ τοῖς εὐδοκιμοῦσιν ἐπὶ τῷ Ληναίῳ γλεῦκος δίδοσθαι, ὅπερ ἐκάλουν τρύγα, ἢ ὅτι μήπω προσωπείων ηὑρημένων τρυγὶ διαχρίοντες τὰ πρόσωπα ὑπεκρίνοντο.	κωμῳδία ἐστὶ ποίησις ἔμμετρος καὶ αὐτὴ πρὸς ἅμιλλαν ᾠδῆς, πρότερον μὲν ἐφ' ἱλαρότητί τινι καὶ καρπῶν συγκομιδῇ γιγνομένη, μετὰ τοῦτο δὲ καὶ ἐπὶ διαβολῇ καὶ ἐνδείξει πονηρῶν προσώπων τε καὶ πραγμάτων εἰς σωφρονισμὸν ποιουμένη, καθ' ἣν τῷ νικήσαντι γλεῦκος ἔπαθλον ἐδίδοτο, ὃ τρύγα ἐκάλουν. παρὸ καὶ ἥδε τὸ πρὶν τρυγῳδία κοινῶς ἐλέγετο, ὕστερον δὲ ἀπὸ τοῦ κατὰ κώμας ἄρξασθαι ταύτην πρὶν εἰς ἄστυ μετελθεῖν κωμῳδία ὠνομάσθη.

Ac primum quidem non parvi est momenti locos istos etiam nonnullis verbis congruere, id quod in excerptis tam brevibus valde est premendum. Deinde in universum monendum est in scholio rationem Proclianam non reperiri, quod non est mirum, cum scholiastae interfuerit, eis, qui legebant, paucis verbis comoediae descriptionem continuatam proponere.

Quod eo consilio adductus non omnes versiones enumeravit sed unam eximit, nemo crimini ei dabit. Sed ut argumentum adeamus, in summis rebus anonymus et scholium cum Procli narratione congruunt. Apud Proclum duas illas etymologias, quarum altera comoediae nomen a voce κώμη (vicus), altera a voce κῶμος (comissatio) ducit, commemoratas (tertiam a voce κῶμα [dormiendi tempus] cum iis coniunctam) fuisse efficitur e scholiorum Dionys. locis s. c.; cf. Etymol. M. p. 764, 1; Prolegg. in Lycophr. p. 34, 11 (Kaibel); anecd. Estens. Neque hae etymologiae in anonymi tractatu aut in scholio desunt. cf. anon. τὴν δὲ ὀνομασίαν ἔχειν κτλ. et scholium: ὕστερον δὲ ἀπὸ τοῦ κατὰ κώμας ἄρξασθαι ταύτην πρὶν εἰς ἄστυ μετελθεῖν, κωμῳδία ὠνομάσθη. Etymologia κῶμος etsi in scholio non nominatim laudatur, tamen in verbis πρότερον μὲν ἐφ' ἱλαρότητί τινι καὶ καρπῶν συγκομιδῇ γιγνομένη inest, cf. Euanthium p. 62, 1 (Com. Gr. fr. Kaibel): „Initium tragoediae et comoediae a rebus divinis est incohatum, quibus pro fructibus vota solventes operabantur antiqui" et v. 15 „vel ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν, quod est comessatum ire cantantes; quod appotis sollemni die vel amatorie lascivientibus [choris comicis] non absurdum est". Deinde et apud anonymum et in scholio communis originis duarum dramatis specierum mentio fit etymologia τρυγῳδία allata, quo loco etiam ad verbum fere ambos congruere iam diximus. Similia habent Et. M 764, 8 sqq.; prolegg. in Lycophron. p. 34, 16 K.; Tzetz. iamb. περὶ διαφ. ποιητῶν p. 36, 57 K. Cum anonymus in prooemio etymologias tantum enumerare satis habuerit, a scholiasta simul, quod supra iam tetigimus, quomodo comoedia paulatim orta sit, paucis explicatur: πρότερον μὲν ... μετὰ τοῦτο δὲ καὶ ἐπὶ διαβολῇ καὶ ἐνδείξει πονηρῶν προσώπων τε καὶ πραγμάτων εἰς σωφρονισμὸν ποιουμένη. Quibus verbis apparet eum descriptionem, qua comoediae historia bipartita erat, ante oculos habuisse, qualis extat in Tzetzae tractatus (P a) tertia parte. Quod nostra interest exscribam p. 17, 9 K.: καὶ πάλιν καθ' ἑτέραν διαίρεσιν τῆς κωμῳδίας τὸ μέν ἐστιν ἀρχαῖον, τὸ δὲ νέον. Sequuntur quibus antiqua et nova differant, quod ad ὕλην, μέτρον, λέξιν, διασκευήν, ut Graecorum solitis verbis utar, attinet et v. 20 pergitur: καὶ αὐτὴ δὲ ἡ παλαιὰ ἑαυτῆς διαφέρει·

καὶ γὰρ οἱ ἐν τῇ Ἀττικῇ πρῶτον συστησάμενοι τὸ ἐπιτήδευμα τῆς κωμῳδίας (ἦσαν δὲ οἱ περὶ Σουσαρίωνα) τὰ πρόσωπα ἀτάκτως εἰσῆγον, καὶ γέλως ἦν μόνος τὸ κατασκευαζόμενον. ἐπιγενόμενος δὲ ὁ Κρατῖνος κατέστησε μὲν πρῶτον τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μέχρι τριῶν, στήσας τὴν ἀταξίαν, καὶ τῷ χαρίεντι τῆς κωμῳδίας τὸ ὠφέλιμον προσέθηκε τοὺς κακῶς πράσσοντας διαβάλλων καὶ ὥσπερ δημοσίᾳ μάστιγι τῇ κωμῳδίᾳ κολάζων. Huius descriptionis reliquiae in scholio servatae sunt. Kaibelius autem l. l. p. 43 sqq. demonstravit apud Proclum duas versiones traditas fuisse; secundum alteram comoediae historia bipartita erat (καὶ πάλιν καθ' ἑτέραν διαίρεσιν κτλ.). Res, quibus hic partitio fiebat, spectabant, ut vidimus, ad ὕλην, μέτρον, λέξιν, διασκευήν. In hac versione iuxta antiquam et novam comoediam primordia distinguuntur, ubi nondum comoedia civibus corrigendis instituta est, ubi commissationes etiam valebant et iocularia agebantur (καὶ γέλως ἦν μόνος τὸ κατασκευαζόμενον) [1]).

Iuxta hanc versionem in chrestomathia altera extabat, qua comoediae historia erat tripartita; quae optime servata est in scholiis Dionysianis. Hic comoedia ab initio usque ad finem ut carmen maledicum describitur; partiendi principium est τὸ κωμῳδεῖν; cf. Com. Melamp. s. Diomed. p. 19, 23 H.: διὸ καὶ τρεῖς διαφορὰς ἔδοξεν ἔχειν ἡ κωμῳδία. καὶ ἡ μὲν καλεῖται παλαιά, ἡ ἐξ ἀρχῆς φανερῶς ἐλέγχουσα, ἡ δὲ μέση, ἡ αἰνιγματωδῶς, ἡ δὲ νέα, ἡ μηδ' ὅλως τοῦτο ποιοῦσα πλὴν ἐπὶ δούλων ἢ ξένων. Cf. Tzetz. π. διαφ. ποιητ. p. 37, 78 K.; Anecd. Estens. II, 5 (p. 59 Kayser).

Scholiastam eam versionem, quam primo loco descripsimus, recepisse vidimus. In anonymo autem utriusque versionis vestigia relicta esse mihi videntur. In antiqua comoedia definienda haec affert: οἱ μὲν οὖν τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιηταὶ οὐχ ὑποθέσεως ἀληθοῦς ἀλλὰ παιδιᾶς (sic Fielitz, παιδείας trad.)

---

[1] Cf. Diomed. p. 58, 161 sqq. (Kaibel) et liber gloss. p. 72, 9 (Kaibel): „sed prior ac vetus comoedia ridicularis extitit. postea civiles vel privatas adgressa materias in dictis atque gestu universorum delicta corripiens in scaenam proferebat nec vetabantur poetae pessimum quemque describere vel cuiuslibet peccata moresque reprehendere. auctor eius Susarion traditur".

εὐτραπέλου γενόμενοι ζηλωταὶ τοὺς ἀγῶνας ἐποίουν et eius poetae nominantur Epicharmus Magnes Cratinus Pherecrates Phrynichus Eupolis Aristophanes. Illis autem verbis non antiqua comoedia sed primordia definiuntur. Neque haec nomina in definitionem quadrant. Nescio an hoc potissimum anonymi errore probari possit eum ambas Procli versiones ante oculos habuisse et perturbasse. Paragrapho enim secunda dicit tres comoediae periodos extare: γεγόνασι δὲ μεταβολαὶ κωμῳδίας τρεῖς· καὶ ἡ μὲν ἀρχαία, ἡ δὲ νέα, ἡ δὲ μέση. Deinde antiquae definitionem tribuit, quae dumtaxat primordiis convenit, talibus fortasse verbis deceptus, qualia in scholio Platonico extant: πρότερον μὲν κτλ. Comoedia media definitur his: τῆς δὲ μέσης κωμῳδίας οἱ ποιηταὶ πλάσματος μὲν οὐχ ἥψαντο ποιητικοῦ, διὰ δὲ τῆς συνήθους ἰόντες λαλιᾶς λογικὰς ἔχουσι τὰς ἀρετάς, ὥστε σπάνιον ποιητικὸν εἶναι χαρακτῆρα παρ' αὐτοῖς· κατασχολοῦνται δὲ πάντες περὶ τὰς ὑποθέσεις. Quae definitio in mediam non magis quam in novam comoediam quadrare mihi videtur (cf. Fielitz l. l. p. 30), neque fortuito novae definitionem in anonymo deesse existimo [1]. Principium partiendi, quo usus est, id erat, quod in Tzetzae tractatu Pa III adhibitum vidimus: ὕλη, μέτρον, διάλεκτος, διασκευή. Etsi hoc partiendi modo utebatur, tripartitionem recepit; praeterea antiquae comoediae primordiorum definitionem dedit et antiquae propriam plane omisit. Qua perturbatione demonstrata Procli ambas versiones anonymo praesto fuisse probavisse mihi videor.

2. Si comicorum indicem, qui ab anonymo praebetur, perlustramus, indicum illorum commonemur, qui nobis servati sunt codicibus Montefalconiano et Bodleiano, quos conferendos cum anonymo iussit idem Kaibelius in annotatione illa, quam supra laudavimus. Quas tabulas postremus edidit et fusius tractavit O. Kroehnert [2], qui et ipse similitudinem, quae inter earum et anonymi comicorum indicem intercedit, animadvertit sed quaenam sit huius consensus causa non quaesivit. Postquam anonymum ad Procli chrestomathiam redire demonstra-

---

[1] Non quidem ignoro post v. 61 lacunam in textu hiare.

[2] Canonesne poetarum scriptorum artificum per antiquitatem fuerunt? Diss. Regim. 1897.

tum est, fortasse meliore eventu eum cum laterculis conferre possumus. Kroehnertium secuti tabulam Montefalconianam littera M, Bodleianam littera C significabimus, quarum illam eius dissertationis p. 5—8, hanc p. 10—13 expressam invenies.

Antiquae comoediae poetae praebentur:

in tab. M	ab anonymo
Κωμῳδοποιοὶ ἀρχαίας ζ̄· Ἐπίχαρμος, Κρατῖνος, Εὔπολις, Ἀριστοφάνης, Φερεκράτης ⟨Κράτης⟩, Πλάτων.	Ἐπίχαρμος, Μάγνης, Κρατῖνος, Κράτης, Φερεκράτης, Φρύνιχος, Εὔπολις, Ἀριστοφάνης.
in tab. C	
Κωμῳδοποιοὶ ἀρχαῖοι ζ̄· Ἐπίχ. Κρατῖν. Εὔπ. Ἀρ. Φερεκρ. Κράτ. Πλάτ.	

Cratetis nomen, quod in tabula M deest, a Lagardio, Usenero, Christio propter ζ traditum recte additum facile, cum Pherecratis nomen antecedat, librarii errore omissum esse nemo negabit. In anonymo si non eodem ordine enumerati, at tamen eadem fere nomina occurrunt excepto tantum Platonis et additis Magnetis et Phrynichi nominibus.

Mediae comoediae poetae praebentur

in tabb. M et C	ab anonymo
μέσης κωμῳδίας β̄· Ἀντιφάνης, Ἄλεξις Θούριος.	Ἀντιφάνης καὶ στέφανος.

Pro στέφανος, quod ortum sit librarii errore, cuius oculi ad verba sequentia Ἀντιφάνης μὲν οὖν Στεφάνου aberrabant, iam Dobree posuit Ἄλεξις. Illo errore simul, cur post Antiphanis vitam lacuna hiet, explicatur, quam Kaibelius ad Suidae fidem supplevit: Ἄλεξις δὲ Θούριος . . . δράματα δὲ αὐτοῦ σξʹ. Qua difficultate sublata tabulae cum anonymo congruunt.

Novae comoediae poetae praebentur

in tab. M	ab anonymo
νέας κωμῳδίας ε̄. Μένανδρος, Φιλιππίδης, Δίφιλος, Φιλήμων, Ἀπολλόδωρος.	Φιλήμων, Μένανδρος, Δίφιλος, Φιλιππίδης, Ποσείδιππος, Ἀπολλόδωρος.
in tab. C	
νέας δὲ ε̄. Μέν. Φιλιππ. Δίφ. Φιλήμ. ⟨Ἀπολλόδωρος⟩.	

Apollodori nomen in tab. C omissum Kroehnertius supplevit e codice Vaticano, quo idem index exhibetur, quem initio mutilatum publici iuris fecit I. Hergenroether (Phot. Patriarch. v. Constantinopel III (1869) p. 257 adn. 37); cf. Kroehnertium p. 9. Praeterea Posidippi nomen in tabulis deest.

Videmus igitur in tabulis eadem nomina paucis tantum exceptis extare atque in anonymo. Summo iure hunc consensum magni facimus; est enim singularis. Quantopere tales indices differre possint, elucet ex indice e codice Estensi sumpto, qui in Kaibelii comicorum graecorum fragmentis anonymo adsertus est. Cui est titulus: Τῶν τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητῶν ὀνόματα καὶ δράματα. Enumerantur: Theopompus, Strattis, Pherecrates, Crates, Plato, Teleclides, Phrynichus. Et re vera nusquam alibi idem indices inveniuntur. Quod ut demonstrem testimoniis a Kroehnertio collectis utor. Iam ille, ubi de antiquae poetis dicit, animadvertit heptadem illam in tabb. M et C servatam nusquam inveniri nisi similiter in anonymo nostro. p. 26: „E contrario ternarius numerus atque in tragicis perinde in comicis poetis elegendis summi momenti est. Nam apud permultos auctores antiquos hi tres Aristophanes, Cratinus, Eupolis praestantissimi comoediarum scriptores laudantur.“ Concedit quidem interdum pro alio alium poetam substitui et unum locum affert, quo quattuor nominantur: Ps.-Dionys. Hal. art. rhet. 11, 10 p. 413 R. Sed hic locus non premi posse videtur, quod iuxta Aristophanem, Cratinum, Eupolim Menander, novae comoediae poeta, laudatur. Quattuor alios locos, quos infra in media comoedia tractanda enumerat, hoc loco commemorare potuit Kroehnertius: In Tzetzae in Aristophanem prooemio περὶ κωμῳδίας (Pb Kaibelii) extant v. 44 sq. nomina: Eupolis Cratinus Pherecrates Plato; eadem nomina exhibentur in prolegg. in Lycophr. p. 34, 22 Kaib. et in tractatu Ma v. 116 sqq. Et ex eiusdem iambis περὶ διαφ. ποιητ. p. 37, 83 extant Cratinus Eupolis Pherecrates Aristophanes Hermippus Plato. Magni momenti est Tzetzam potissimum ternarium numerum, qui apud ceteros scriptores occurrere solet, transgressum esse neque hoc Proclo tribuere dubitamus. Quod Byzantini indices non plane cum anonymo vel potius Proclo congruunt, apud Tzetzas offendere non debemus.

Mediae comoediae poetarum nomina Antiphanes et Alexis Kroehnertio teste (p. 28) nusquam alibi reperiuntur nisi in laterculis et apud anonymum.

Eodem denique singulari consensu novae poetarum indices esse unusquisque discere potest e conspectu testimoniorum, quem Kroehnertius p. 28 sq. composuit.

Quae cum ita sint, comicorum quidem indices canonum scriptorem e Procli chrestomathia sumpsisse nemo non concedet.

Sed in comicorum indice consistere non licet, quippe qui nihil sit nisi membrum totius seriei. Iam Kroehnertius p. 13 cognovit in tabulis binas partes distinguendas esse. Tabulae M prior pars (I—VIII) cum posteriore tabulae C (VII—XIV) congruit; in utraque enim quamquam non eodem ordine enumerantur epici, iambici, tragici, comici, elegiaci, lyrici, oratores, historici. Atque hanc quidem partem re vera unum efficere vel inde apparet, quod omnes indices eodem modo inducuntur. Ubique genera singula casu nominativo adhibito significantur et numerus poetarum additur, velut Ποιηταὶ ε̄, Ἰαμβικοὶ γ̄, Τραγῳδοποιοὶ ε̄. In altera autem tabularum parte tituli pluribus verbis exprimuntur velut: Ὅσοι γραμματικοί, Ὅσοι περὶ ὀρθογραφίας, Πίναξ τῶν ἐν ἰατρικῇ διαπρεψάντων, Ἐν δὲ τῇ φιλοσοφίᾳ ἔπρεψαν. Praeterea indices, qui his titulis subiciuntur, ab illis toto caelo distant. Iam vero is, qui illas partes congruentes perlegerit, statim animadvertet poetas earundem poesis specierum enumerari, quae in Procli chrestomathia tractantur hoc ordine: epici, elegiaci, iambici, lyrici, tragici comici. Oratorum tantum et historicorum in reliquiis, quae Procli nomen prae se ferunt, vestigia non inveniuntur. Sed videamus quomodo indices ipsi cum laterculis consentiant. Epicorum (poetarum κατ' ἐξοχήν) in tabb. et a Proclo pentas illa enumeratur: Homerus, Hesiodus, Pisander, Panyasis, Antimachus, qui index in omnibus Tzetzae scriptis occurrit. Notatu est dignum epicos in tabulis simpliciter ποιηταί vocari, cui respondent apud Tzetzam verba οἱ κατ' ἐξοχὴν λεγόμενοι ποιηταί et similia [1]. Conferenda sunt, quae de epopoeia apud Photium extant p. 230, 12 sqq.: Οἵ δέ φασιν, ὅτι διὰ τὴν

[1] Cf. Kroehnertium p. 19 sq. adn., Kayserum p. 67.

κατασκευὴν καὶ τὴν ἄγαν ὑπεροχήν, τὴν ἐν τοῖς ἑξαμέτροις θεωρουμένην, τὸ κοινὸν ὄνομα παντὸς τοῦ λόγου τὸ ἑξάμετρον ἰδιώσατο καὶ ἐκλήθη ἔπος, καθάπερ καὶ ὁ Ὅμηρος τὸν ποιητὴν . . . ᾠκειώσατο.

Iambicorum enumerantur: Archilochus, Semonides, Hipponax; iidem apud Proclum.

Elegiacorum: Callinus, Mimnermus, Philetas, Callimachus, qui quattuor nusquam alibi uno indice inclusi inveniuntur (cf. Kroehnertium p. 30), nisi quod eosdem quattuor eodem ordine Proclus enumerat.

Quin in Procli compendio eidem novem lyrici nominati fuerint, non est dubium. Cf. schol. Dionys. p. 21, 17 H.; Kaibel. prolegg. p. 34.

Tragicorum poetarum in tabulis indicantur Aeschylus, Sophocles, Euripides, Ion, Achaeus. Kroehnertius testatur ne vestigium quidem huius indicis inveniri posse, immo a plurimis vel cunctis fere auctoribus antiquis tres tantum nominari: Aeschylum, Sophoclem, Euripidem exceptis duobus Tzetzae locis. Et hi potissimum loci digni sunt, qui accuratius examinentur. Altero (proll. ad Lycophr. p. 34, 21) extant: Arion, Thespis, Phrynichus, Aeschylus, Sophocles, Euripides, Ion, Achaeus καὶ ἕτεροι μυρίοι νέοι; altero (iamb. π. διαφ. ποιητ. p. 37, 89 sq.): Thespis, Phrynichus, Aeschylus, Sophocles, Euripides (Kroehnertius, qui etiam altero loco Ionem et Achaeum additos esse putat p. 24, erravit). Tzetzam sua Proclo debere constat atque indicem eius Phrynichi nomine excepto cum tabulis congruere statim videbimus. Verbis καὶ ἕτεροι μυρίοι νέοι perturbari non debemus, immo his ipsis verbis Tzetzes prodit illos octo tantum nomina in exemplari suo se invenisse. Neque magis offendere debemus, quod in prolegomenis ad Lycophronem scriptis Arion et Thespis in capite agglutinati sunt: sine dubio illorum ut tragoediae inventorum apud Proclum mentio facta erat. Nam in schol. Dionys. legimus p. 475, 20: Καὶ εὑρέθη ἡ μὲν τραγῳδία ὑπὸ Θέσπιδός τινος Ἀθηναίου. Atque apud Photium comperimus Arionem primum dithyrambum introduxisse p. 244, 26 W.: τὸν δὲ ἀρξάμενον τῆς ᾠδῆς Ἀριστοτέλης Ἀρίονά φησι εἶναι, ὃς πρῶτος τὸν κύκλιον ἤγαγε χορόν, e dithyrambo autem tragoediam ortam esse Aristoteles

docuerat. Iure Kaibelius p. 45: Danach sollte man, inquit, da doch beide Dramengattungen (comoedia et tragoedia) desselben Ursprungs sind, auch für die Tragödie einen dorischen Erfinder erwarten. Den geben uns allerdings die erhaltenen (Dionys-)Scholien nicht, wohl aber einer, der sie ausgeschrieben hat (affert locum e prolegg. in Lycophr.), wobei ins Gewicht fällt, dass bei Proclus Arion nach Aristoteles' Vorgang als erster Dithyrambendichter verzeichnet war und die Tragödie wiederum nach Aristoteles aus dem Dithyrambus erwachsen ist. Arion und Thespis an der Spitze der Liste bedeuten keinen Widerspruch. Beides sind Erfinder.

Sic probatum esse existimamus laterculorum indices cum Proclo adeo congruere, ut quin e chrestomathia excerpti sint non possit dubitari. Cur canonum scriptor hoc potissimum compendio usus sit apparebit, cum meminerimus, quantum Proclus iudicio poematum tribuerit, qua de re supra diximus, v. etiam Immischium p. 248. Ratione, quae inter laterculos et Proclum intercedit demonstrata fortasse etiam differentiae quae inter ambos extant, explicari possunt. In antiquis comicis enumeratis Plato ab anonymo omissus est. Potestne eo explicari, quod poeta ille in confinio antiquae et mediae comoediae stat et vel illi vel huic assignatur? Cf. schol. Dionys. p. 19, 26—20, 4 καὶ τῆς μὲν παλαιᾶς . . . . . τῆς δὲ μέσης καὶ αὐτῆς μὲν πολλοὶ γεγόνασιν, ἐπίσημος δὲ Πλάτων κτλ.; in proll. in Lycophr. unius periodi comici indicantur Cratinus, Plato, Eupolis, Pherecrates, Aristophanes καὶ ἕτεροι; cf. etiam Pb, Ma, iamb. π. διαφ. ποιητ. Magnetis nomen a canonum scriptore propterea omissum esse videtur, quod illius fabulae non servatae erant: anon. v. 21 τῶν δὲ δραμάτων αὐτοῦ οὐδὲν σῴζεται; idemque valere videtur de Thespidis nomine in tragicorum canone omisso. Rationem inter laterculos et anonymum satis artam esse concludat quispiam ex eo, quod Phrynichi nomen a canonum scriptore omissum est, apud anonymum autem verba, quibus de Phrynicho agitur, mutilata sunt. Nam quae nunc leguntur: Φρύνιχος Πολυφράδμονος ἔθανεν ἐν Σικελίᾳ ut vidit Kaibelius, ad tragicum poetam spectant a comico distinguendum. Qui si hoc tantum loco commemoratus erat, facile etiam explicatur, cur eius nomen in canonibus deest, adest apud Tzetzam.

Quod Posidippi nomen in laterculis deest, fortasse ad oculi errorem redit; antecedit enim in anonymo Philippidis nomen.

3. Sed omisimus adhuc oratorum et historicorum indices. Ut vidimus tabulae M prior pars (I—VIII) posteriori tabulae C accurate respondet, ita ut historicorum et oratorum indices seiungi a ceteris non possint. Eodem modo quo ceteri inducuntur ἱστορικοὶ ι, ῥήτορες ι. Itaque, si poetarum indices ad Proclum redeunt, nonne idem valere de his existimandum est? In chrestomathiae initio Proclum poesim et prosam orationem comparare e Photii verbis elucet καὶ ἐν μὲν τῷ πρώτῳ λέγει, ὡς αἱ αὐταί εἰσιν ἀρεταὶ τοῦ λόγου καὶ ποιήματος, παραλλάσσουσι δὲ ἐν τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον. Sententiam igitur profitetur poesim et sermonem pedestrem unius generis species esse. Qua de re Kaibelius p. 21 sq. et Immischius p. 255 sq. fusius egerunt, quorum ille etiam poesis definitionem, quam Proclus praebet (schol. Dionys. p. 449, 21 sqq.) in illam sententiam quadrare ostendit. At Proclum, quae propinquitas inter poesim et prosam orationem intercedat, monere satis habuisse Immischius p. 246 sq. statuit. Si res ita se habet, putandum est eum qui canones scripsit praefationis verbis commotum sua sponte clarissimorum historicorum et oratorum nomina addidisse. Sed nescio an ulterius progredi possimus. Immischius quidem (p. 246 sq.) praeter poetas quidquam tractatum esse praefracte negat. Qua in sententia probanda nititur Photii loco p. 230, 1 διαλαμβάνει δὲ καὶ περὶ κρίσεως ποιήματος κτλ. et scholio Gregoriano φασὶ δὲ καὶ ἰδικῶς ἐγκύκλιον τὴν ποιητικήν, περὶ ἧς καὶ Πρόκλος ὁ Πλατωνικὸς ἐν μονοβίβλῳ (μονοβιβλίῳ Immisch.) περὶ κύκλου ἐπιγεγραμμένῃ (ἐπιγραμένῃ trad. ἐπικοῦ γράψας Im.) τὰς τῶν ποιητῶν διέξεισι ἀρετὰς καὶ τὰ ἴδια. Quibus duobus locis totius chrestomathiae argumentum significari putat. Utcumque scholium interpretandum est, poetas tantum in chrestomathia tractatos esse ex eo concludi non potest. Neque ullus locus in Photii excerptis extat, ubi poetas solos Proclus tractasse dicatur. Immo e prooemio generali, quod praemittitur p. 229, utrum Proclus de poetis solis an etiam de prosae artificiosae scriptoribus dicturus sit, concludi non potest. Primum enim, ut vidimus, easdem virtutes utriusque proprias esse statuit: καὶ ἐν μὲν τῷ

πρώτῳ λέγει κτλ. Deinde de dicendi generibus agit, quae ipsa quoque in utrosque fines quadrant. Tum demum verbis διαλαμβάνει κτλ. ad poesim tractandam transit. Praeterea ne obliviscamur cavendum est Photium duos tantum priores libros praebere atque eclogarum editionem, qua Photius usus est, ipsam quoque hos duos libros continuisse; neque mirum est, quod eclogarum editor ea tantum, quae eclogis suis praefanda putabat, elegit. Certum igitur est prooemium valde abbreviatum ante oculos nos habere. Ut unum eximam, quin quid grammatici sit, chrestomathiae grammaticae scriptor dixerit, non est dubium; qualia fere apud eum hac de re extiterint, e scholiis Dionysianis comperimus p. 448, 33 sqq.: Πολύπειρος ὁ γραμματικός, ποιητῶν τε καὶ πεζολόγων καθὸ πάσης τετριμμένης λέξεως ἐπιστήμων, οὐ καθὸ ζητημάτων Δημοσθενικῶν ἢ δογμάτων Πλατωνικῶν ἐπιστήμων· οὐ γὰρ ἀνάγκη ταῦτα αὐτὸν εἰδέναι. συγγραφεῖς δὲ λέγουσι πάντας τοὺς πεζολόγους· τούτων δὲ οἱ μὲν ῥήτορες, οἱ δὲ συγγραφεῖς, οἱ δὲ ἱστορικοί· οὐκ ἔστι γὰρ μόνον παρὰ τοῖς ποιηταῖς καὶ συγγραφεῦσι χρειώδης ἡ γραμματική, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς ῥήτορσι καὶ ἱστοριογράφοις. Hic igitur aperte dicitur in chrestomathia grammatica etiam oratores et historicos tractandos esse.

Atque porro, cum rursus in memoriam revocaverimus illud ἕκτον μέρος τῆς γραμματικῆς, iudicium, cardinem efficere, quo totum scriptum versabatur, ac quam arte illud cum περὶ μιμήσεως doctrina coniunctum sit, veri simillimum videtur Proclum oratores atque nimirum etiam historicos in chrestomathiam recepisse. Immischius ipse demonstravit (p. 256 sq.), quomodo sententia illa, qua poesis nihil aliud nisi ἔμμετρος ῥητορική esse dicebatur, factum sit, ut περὶ κρίσεως disciplina cum ea, quae est περὶ μιμήσεως, misceretur et testimonio usus est Dionysii Halicarnassensis περὶ μιμήσεως fragmento quinto, quod fragmentum, libri alterius epitoma, cum ad Neoplatonicum quendam redeat, eo magis coniecturae nostrae adminiculo esse potest. De poetarum, historicorum, philosophorum, oratorum eminentissimis auctoribus deinceps agitur; atque iudicandi principium est statuere, quantum singuli oratori commendari possint ad imitandum. Item Quintilianus (X 1, 27 sqq.) ubi quae maxime legenda

sint oratoribus vel iis „qui ut oratores fiant intendunt“ exponit, poetas, historicos, oratores, philosophos pertractat. Non aliter res se habet in Hermogenis περὶ ἰδεῶν libro altero. Ab eo quidem scriptores alio ordine describuntur, cum certis quibusdam ideis subiungantur. In capite X, quod inscribitur περὶ τοῦ πολιτικοῦ λόγου, Demosthenes et Homerus significantur, in quibus omnes ideae optime mixtae sunt; cf. Rh. Graec. t. III p. 366 sqq. W. Capite sequenti quod est περὶ τοῦ ἁπλῶς πολιτικοῦ λόγου agitur de Lysia, Isaeo, Hyperide, Isocrate, Dinarcho, Aeschine, Antiphonte oratore, Antiphonte sophista, Critia, Lycurgo, Andocide; cap. XII sub titulo περὶ τοῦ ἁπλῶς πανηγυρικοῦ describuntur Xenophon, Aeschines Socraticus, Nicostratus, Herodotus, Thucydides, Hecataeus. Deinde Theopompo, Ephoro, Hellanico, Philisto paucis commemoratis pergitur p. 400, 12 sqq. W.: Τούτοις ἑπόμενόν ἐστι τοὺς μεθ' Ὅμηρον ποιητὰς χαρακτηρίσαι, ὥσπερ τοὺς μετὰ Δημοσθένην ῥήτορας ἐχαρακτηρίζομεν, καὶ τοὺς μετὰ Πλάτωνα λογογράφους, πρότερον περὶ αὐτῶν ἐκείνων εἰπόντες, Πλάτωνος καὶ Δημοσθένους, ὥσπερ καὶ περὶ Ὁμήρου. ἴσως δὲ καὶ περὶ τούτων οὐκ ἀναγκαίως εἰρήκαμεν, δυναμένων ῥᾳδίως χαρακτηρίζειν καὶ πάνθ' ὁντιναοῦν καὶ νέον καὶ παλαιὸν καὶ ποιητὴν καὶ λογογράφον καὶ ῥήτορα τῶν τὰ γενικὰ δὴ ταῦτα εἴδη τοῦ λόγου καὶ οἷον στοιχεῖα πάσης ἰδέας ἐπεσκεμμένων, περὶ ὧν τὴν πᾶσαν πραγματείαν ταύτην συνεστησάμεθα. ὥστε περιττῶς ἂν πλεονάζοιμεν καὶ περὶ τῶν ποιητῶν καθ' ἕκαστον διεξιόντες, ἄλλως τε καὶ πάνυ πολλοῦ γενησομένου τοῦ λόγου, μὴ μόνον περιττοῦ. δεῖ γὰρ δή που πρότερον, εἰ μέλλει τις ταῦτα ὀρθῶς διευκρινήσειν, ἰδίᾳ μὲν περὶ ἐποποιΐας εἰπεῖν τι καὶ τῶν κατ' αὐτὴν δευτέρων τε καὶ τρίτων μεθ' Ὅμηρον, ἰδίᾳ δ' αὖ περὶ τραγῳδίας καὶ κωμῳδίας ὡσαύτως, τῶν τε λυρικῶν ποιημάτων καὶ τῶν ἄλλων εἰδῶν τῆς ποιήσεως ἁπάντων καθ' ἕκαστόν γε αὐτῶν εἰπεῖν, τίς ὁ πρῶτος καὶ διὰ τί, καὶ τίς ὁ δεύτερος καὶ διὰ τί· ὥστε σχεδὸν εἰς ἀπέραντόν τι τὸν λόγον προελθεῖν. Nec memoratu indignum est, quod de Homero dicit p. 375: ἄριστος οὖν κατὰ πάντα λόγων εἴδη καὶ ποιητῶν ἁπάντων καὶ ῥητόρων καὶ λογογράφων Ὅμηρος. Etiam Dio Chrysostomus or. XVIII, ubi amico in re publica versato, qui παιδείας ὀρέγεται καὶ φιλοκαλεῖ περὶ τὴν τῶν

λόγων ἐμπειρίαν lectionis praecepta tradit, de poetis, historicis, oratoribus, Socraticis legendis agit; cf. p. 252 vol. II Arnim. Sed haec exempla sufficiant. Proclum cum poetas cum oratoribus et historicis ad idem genus pertinere putaret, in chrestomathia grammatica non poetas solos tractasse veri simillimum esse videtur.

Quae sententia etiam magis firmabitur, si meminerimus, canonum scriptorem philosophos omisisse. Si ille re vera ipse oratores et historicos addidisset, quin etiam philosophos commemoraturus fuerit, non dubito. Ea tantum, quae in chrestomathia invenit, rettulit. Proclum autem philosophos non tractasse facile intellegimus. In chrestomathia grammaticus verba facit, non philosophus. Grammaticus autem spectat ad scribendi rationem, non ad res. Πολύπειρος ὁ γραμματικὸς ποιητῶν τε καὶ πεζολόγων καθὸ πάσης τετριμμένης λέξεως ἐπιστήμων, οὐ καθὸ ζητημάτων Δημοσθενικῶν ἢ δογμάτων Πλατωνικῶν ἐπιστήμων· οὐ γὰρ ἀνάγκη ταῦτα αὐτὸν εἰδέναι. Consentaneum igitur est philosophum philosophos, quorum magis quid quam quomodo scriberetur interesse oportebat, e chrestomathia grammatica exclusisse; cf. Theophrasti fr. 64 et 65 (Ammonium in Ar. d. interpr. p. 65, 22 sqq. Busse): τοῦ λόγου σχέσεις ἔχοντος τὴν μὲν πρὸς τοὺς ἀκροατὰς τὴν δὲ πρὸς τὰ πράγματα, τὴν μὲν πρὸς τοὺς ἀκροατὰς ποιηταὶ καὶ ῥήτορες διώκουσι, τὴν δὲ πρὸς τὰ πράγματα φιλόσοφοι [1]). Quam sententiam satis vulgarem fuisse scriptores, quos cum Proclo comparandos attulimus, testantur. Videas quomodo apud Dionysium Hal. philosophi inducantur. Etsi verba non epitomatoris sed „Pythagoreorum sectatoris posterioris“ sunt (cf. Usenerum ad locum) tamen si ad „canonem“ allatum et electorum κρίσιν spectas, eius sententiae respondent, p. 26: Τῶν φιλοσόφων δ' ἀναγνωστέον τούς τε Πυθαγορικοὺς τῆς σεμνότητος καὶ τῶν ἠθῶν καὶ τῶν δογμάτων ἕνεκεν· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῆς ἀπαγγελίας κτλ. Deinde commendantur ad imitandum Xenophon, Plato, Aristo-

---

[1] Cf. Immischium p. 255 sq. et Krollium in mus. Rhen. vol. LXII p. 86, qui scribendi tenue genus non ad λόγον πρὸς τὰ πράγματα pertinere recte contra Hendricksonium dicit.

teles et eius discipuli. Afferre liceat, quae de Aristotele dicuntur p. 27, 1 sqq.: παραληπτέον δὲ καὶ Ἀριστοτέλην εἰς μίμησιν τῆς τε περὶ τὴν ἑρμηνείαν δεινότητος καὶ τῆς σαφηνείας, καὶ τοῦ ἡδέος καὶ πολυμαθοῦς· τοῦτο γάρ ἐστι μάλιστα παρὰ τοῦ ἀνδρὸς τούτου λαβεῖν. A Quintiliano commendantur Plato, Xenophon et reliqui Socratici, Aristoteles, Theophrastus, Stoici. Rursus Aristotelis iudicium, quod notetur, dignum est X, 1, 83: „Quid Aristotelem? quem dubito scientia rerum an scriptorum copia an eloquendi suavitate an inventionum acumine an varietate operum clariorem putem.“ Apud Hermogenem commemoratos invenimus Platonem, Xenophontem, Aeschinem Socraticum; apud Dionem Chrysostomum Socraticos universos, quorum Xenophon nominatur. Quibus nominibus illustratur, quam non philosophi etiam antiquorum sententia in eandem seriem cum poetis, oratoribus, historicis quadrent. Philosophos igitur canonum scriptorem a Proclo non tractatos invenisse pro certo habeo. Sed de oratoribus et historicis Proclum egisse tertio argumento fulcitur.

Quid chrestomathiae quarto libro tractatum fuit nisi oratores et historici? Tertium et quartum librum poesi dramatica sola expletos fuisse persuadere mihi non possum. Sed extiteruntne omnino genuini compendii quattuor libri? Rursus cum Immischio disserendum mihi est, qui Suidae testimonio chrestomathiam tres tantum libros continuisse fidem habeat. Partitionis testimonia praesto nobis sunt haec:

1. apud Photium p. 229, 5 sqq.: Ἀνεγνώσθησαν ἐκ τοῦ ἐπιγραφομένου βιβλίου Πρόκλου χρηστομαθίας γραμματικῆς ἐκλογαί. Ἔστι δὲ τὸ βιβλίον εἰς δ̄ διῃρημένον λόγους [1]).
2. ibid. p. 250, 18 sq. Οἱ μὲν δύο λόγοι τῆς Πρόκλου γραμματικῆς χρηστομαθίας ἐν τούτοις.
3. codd. Venet. et Escurial. p. 230, 24 W. Πρόκλου χρηστομαθίας τῶν εἰς δ̄ διῃρημένων τὸ ᾱ.
4. cod. Venet. p. 237, 5: Πρόκλου χρηστομαθίας γραμματικῆς τὸ β̄.

[1] Ἀνεγνώσθη ἐκ τοῦ ἐπιγραφομένου βιβλίου Πρόκλου χρηστομαθίας γραμματικῆς. Ἔστι δὲ τὸ βιβλίον εἰς τέσσαρας διῃρημένον λόγους A. ἀνεγνώσθη ἐκ τῆς Πρ. χρ. γρ. ἐκλογαί. τὸ παρὸν βιβλίον διαιρεῖται εἰς δ̄.

Quibus oppositum est Suidae testimonium: περὶ χρηστομαθείας βιβλία γ̄. Ante Immischium omnes Photii et codicum auctoritatem secuti totam chrestomathiam in quattuor libros divisam esse existimaverant. Omnes posuisse videntur Suidam editionem abbreviatam ante oculos habuisse[1]). Immischius, qui primus hanc quaestionem accuratius movit (p. 238 sqq.), testimoniorum differentiam eo explicandam esse putat, quod eclogarum editio in quattuor libellos (λόγους) divisa (διαιρεῖν) fuerit, cum opus genuinum tres libros comprehenderit. Quam sententiam iam Prellerus professus est l. l. p. 115: Was aber die Einteilung betrifft, so las Photius ja nur Eklogen aus der Proclischen Chrestomathie, nicht das ganze Werk. Wenn er also sagt: ἔστι δὲ τὸ βιβλίον εἰς δ̄ διῃρημένον λόγους, so folgt daraus nur dieses, dass die Eklogen in 4 Bücher ... zerfielen, nicht dass auch das Originalwerk ... dieselbe Einteilung hatte. Ut vulgarem opinionem abiciat, duabus potissimum causis cogi se arbitratur Immischius. Ac primum quidem Suidae testimonium neglegere dubitat, deinde vulgari opinione accepta liber alter, qui medio in epopoeiae capite incipiens elegiam, iambum, poesim lyricam continet, nimis longus ei videtur esse (p. 242). Quae causae gravis momenti mea quidem sententia non sunt. Primum enim moneam Photium et codices duo testimonia, quae per se valent, praebere, quibus unus Suidas oppositus est. Fieri potest, ut Suidas non totam chrestomathiam cognoverit; quod si credere nolumus, constat certe Suidae numeris non caecam fidem haberi posse. Neque alterum argumentum probabile videtur. Capita enim, quibus de elegia, iambo, poesi lyrica agitur, non multo ampliora in Proclo ipso fuisse, quam quae Photius praebet, supra diximus; sed prooemium compendii multo amplius fuit. Cum igitur libri primi, qui prooemium et epopoeiae partem continebat, ambitum cum alterius libri contuleris, eos eadem fere magnitudine fuisse concedes. Proclus libros quantum poterat aequare studuit. At valde esset mirabile, si eclogarum editor medio in epopoeiae capite librum

---

[1] cf. Usener, Mus. Rhen. vol. 28, 414; Jahn l. l. p. 97; Christ, Gesch. d. gr. Lit.⁴ p. 878.

primum finivisset. Eius certe interfuisset argumentum secutus partiri. Neque Suidae igitur testimonio neque librorum ambitu ne Photii et codicum testimoniis confidamus impedimur. Sed ex eorum verbis ipsis Immischius se concludere posse existimavit partitionem illam non esse genuinam. Verbis Ἔστι δὲ τὸ βιβλίον εἰς δ̄ διῃρημένον λόγους et imprimis Πρόκλου χρηστομαθίας τῶν εἰς δ̄ διῃρημένων τὸ ᾱ elucere ei videtur eclogas postea commoditatis causa in quattuor partes divisas esse. Nam et verbum διαιρεῖν et scribendi ratio τῶν εἰς δ̄ — τὸ ᾱ in talibus singulorum librorum partitionibus solita fuerunt; cf. Birt, Das antike Buchwesen p. 316 sqq. et Im. p. 239. Sed hoc necessario concludendum esse ne ipse quidem contendit. Ipse concedit verba illa εἰς δ̄ διηρ. et τῶν εἰς δ̄ etc. optimo iure ad partitionem genuinam revocari posse et simplicissimum esse dicit Photii verba οἱ μὲν δύο λόγοι τῆς Πρ. γρ. χρ. ἐν τούτοις ita explicari, ut eis eadem partitio quae initio inesse putaretur. Cuius sententiae merito Birtii testimonium (l. l. p. 320) affert, qui quaestionem non aliter ac nos diiudicavit.

Postquam sic Proclum etiam de oratoribus et historicis egisse probatum est, nonnullae res, quae adhuc in controversiam cadebant, diiudicari possunt. Canonum scriptor hos decem historicos enumerat: Thucydidem, Herodotum, Xenophontem, Philistum, Theopompum, Ephorum, Anaximenem, Callisthenem, Hellanicum (in tab. C ἑλληνικός vel ἑλληνικὸς codd. cf. Kroehn. p. 13 adn.) Polybium. Usenerus[1]) primus singula paria in canone distinguenda esse cognovit; cuius sententiam, quod tria prima paria attinet (Thucydidem Herodotum „principes“, Xenophontem Philistum „principum imitatores“, Theopompum Ephorum „secundi ordinis“) secutus est Kroehnertius p. 35 sq.; in quarto et quinto pari explicando ei non assensus est. Praecipue in Hellanici nomine et loco offendit et coniecit in archetypo, qui non solum nomina sed etiam opera praebuisset, extitisse Καλλισθένης, Ἑλληνικὰ ... et „librarii vel auctoris canonis ipsius mendo ex operis titulo nomen scriptoris et non ignoti esse factum“. Cui sententiae arridet lectio ἑλληνικός servata. Sed ne hanc quidem sen-

---

[1] Dionys. H. de imit. edit. epil. p. 131 sq.

tentiam sequi possumus. Nam primum quidem non intellego, cur Hellanicus in canonem non quadret. Etiam Hermogenes l. l. p. 400 Hellanicum una cum Theopompo, Ephoro, Philisto numerat. Deinde postquam, quantas partes περὶ μιμήσεως et κρίσεως disciplinae apud Proclum egerint vidimus, apparet, cur illum potissimum locum Hellanicus in canone obtineat: Hellanicus et Polybius, qui, si ad scribendi rationem spectas, minime exemplo esse possint, in fine canonis positi sunt. Quae ordinandi ratio in toto canone valet (etiam in oratorum canone, cf. Usenerum l. l. p. 132). Audiamus, quae Hermogenes dicit p. 400: Περὶ δὲ Θεοπόμπου καὶ Ἐφόρου καὶ Ἑλλανίκου καὶ Φιλίστου καὶ τῶν ὁμοίων τούτοις περιττὸν ἔδοξεν εἶναί μοι γράφειν, μάλιστα μὲν ..... πρὸς δὲ τούτῳ καὶ ὅτι ζήλου καὶ μιμήσεως τὰ εἴδη τῶν λόγων αὐτῶν οὐ πάνυ τι, μᾶλλον δὲ οὐδ' ὅλως, ὅσα γε ἐμὲ γινώσκειν, ἠξίωται παρὰ τοῖς Ἕλλησι, καθάπερ τὰ τῶν ἄλλων, οἷον Θουκυδίδου, Ἡροδότου, Ἑκαταίου, Ξενοφῶντος, τῶν λοιπῶν. Neque neglegendum est, quo ordine in Dionys. H. libri alterius epitoma, a Quintiliano, a Dione Chrysostomo historici describantur.

Aliquid lucis nunc fortasse ferri potest in locum quendam, qui in scholiis Londinensibus extat p. 451, 3 sqq. H.: Σύνταγμά ἐστι λέξις διὰ μέτρων κολοβῶν ἐπὶ πολλὰ διατείνουσα, ἢ σύνταξις μέτρου κατὰ κολοβὸν ἀπηρτισμένη ἄνευ μέλους, ἢ μέτρον εἰς λόγους κολοβοὺς τετμημένον. Kaibelius (proll. p. 33) etsi negat haec verba se intellegere, tamen iambi vestigia reperiri posse in iis existimat. Sed huic sententiae obstare vocem σύνταγμα ipse concedit. Ne ego quidem dubito, quin hic locus non integer in scholia pervenerit. Sed rectius verba servata explanari videntur eo, quod Buechelerus me monuit. Si re vera prosae artificiosae in chrestomathia mentio facta est, etiam de rhythmo in oratione pedestri adhibito Proclum dixisse consentaneum est. Versus, qui a sermone pedestri non multum absunt, κολοβούς appellatos esse elucet e Diomedis loco: G. L. K. I p. 498, 28: „sic vero hac in appellatione improbantur (versus) ut quinque speciebus designentur, mutili, exiles, ecaudes, fragosi, fluxi et hos Graeci ἀκεφάλους, λαγαρούς, μειούρους, τραχεῖς, κολοβούς“; adde p. 500, 17 „fluxi sunt, qui soluto modo et uberi metro vacillanter quatiuntur“.

Cf. etiam anonymum de hexametro G. L. K. VI 637, 13 sqq. „colurus est sive colobus cum versus quasi prosa oratione decurrit, ut est hoc 'aut spumas miscent argenti viraque sulphura'".

III.

1. In tertia parte anecdoti Estensis a Kaysero editi agitur de bucolicis. Primam et alteram partem in memoriae seriem scholiorum Dionysianorum, Procli, Orionis, Didymi inserendam esse Kayserus probavit. Tertiae partis id caput, quo de voce βουκόλος disseritur, ad Orionis lexicon redire idem existimat p. 80 et 90 dicitque p. 80: „Quibus expositis apparere censeo totam hanc anecdoti doctrinam de voce βουκόλος prolatam ex Orione fluxisse. Fortasse Proclo intercedente haec omnia auctoribus Byzantinis sunt tradita." Nescio an his verbis dicere velit se bucolica in chrestomathia tractata esse suspicari. Iam priusquam anecdoton in lucem prodiit, Brinkmannus me monuit illud poesis genus a Proclo non esse neglectum veri esse simillimum. Ne vestigium quidem Theocriti commemorati relictum esse in eis, quae adhuc Procliana cognovimus, concedendum est. Postquam nunc a Kaysero probatum est illius Tzetzae scripti duas primas partes, si non in omnibus singulis rebus, at tamen in universis e chrestomathia fluxisse, vel per se sententia, qua etiam tertiam partem ex eodem fonte hausisse Tzetzes putetur, arridet. Sed primum quidem quaerendum est, num a priori, ut aiunt, Proclus bucolicorum mentionem fecisse putandus sit. Proclum non modo aetatis classicae scriptores tractasse vel e Photii excerptis cognosci potest, cum in elegiacis Philetas et Callimachus enumerentur. Deinde chrestomathiae scriptorem non solum antiquorum memoriam servavisse, sed etiam suae aetatis hominum studiorum rationem duxisse iam vidimus atque etiam visuros nos esse speramus. Qua de Procli consuetudine egit Immischius p. 258. Satis est monere de oratoribus et historicis commemoratis. Bucolici quanta gratia illis potissimum temporibus

inde a saeculo quarto usque ad sextum usi sint constat inter omnes [1]). Quicumque imitatorum nomina, quae Ahrensius (Bucol. Graec. rel. vol. I) collegit, perlustraverit, illud probatum inveniet. Neque minor est numerus testimoniorum, quibus quam multum Theocriti carmina lecta sint illa aetate confirmatur, quae idem Ahrensius composuit. Occurrunt illic nomina velut Basilii, Gregorii, Iuliani Apostatae, Synesii, Orionis, Syriani, Procopii, Simplicii. Maxime premendum est bucolicis magnopere studuisse Orionem, Procli praeceptorem, qui Theonis ὑπόμνημα in Theocritum scriptum in manibus habuit, ut docuit Wilam. l. l. p. 110. Deinde in Syriani, qui ipse quoque erat Procli praeceptor, commentario in Hermogenis περὶ ἰδεῶν scripto Theocritus saepius quam classicae aetatis poetae velut Euripides laudatur. Quibus omnibus deliberatis, quin bucolica a Proclo in chrestomathia tractata sint, equidem non dubito.

Utrum iam eclogarum scriptor ea omiserit, an a Photio demum neglecta sint, diiudicare nolo. Veri quidem similius mihi esse videtur, in eclogis non iam ea extitisse, id quod satis certum fit, si Michaelis Italici conspectus non e Photio sed ex eclogarum editione exscriptus est. Quocumque modo res se habet, Photii potissimum aetate bucolicorum studium minimum fuisse constat; cf. Wilam. l. l. p. 5. Sed videamus, num quae in anecdoto de bucolica poesi exhibentur, in Procli chrestomathia extare potuerint. Quae adhuc innotuerunt prolegomena (Ahrens. Buc. Gr. rel. vol. II), etiamsi pauciora sunt quam quae Anecdoto Estensi praebentur, tamen cum hoc ita congruunt, ut de ambobus simul agere possimus. Antea autem monendum est ea, quae de bucolicis tradita sunt, eo consilio esse composita, ut editioni Theocriti cuidam praeponerentur, cf. Kayserum p. 76.

Primo loco in anecdoto Estensi, quibus cum caerimoniis carmina bucolica cantata sint, narratur; quae narratio initio

---

[1] cf. Wilamowitz, Textgesch. d. griech. Bukoliker p. 5 (in comment. philol. a Kiessl. et Wilam. edit. vol. XVIII): Die Bukoliker sind in den Jahrhunderten 4—6 ganz besonders gern gelesen worden; die ägyptisch-gazäische Dichterschule ahmte sie ebenso gern nach wie die asiatische Epigrammatik. V. etiam p. 106 sqq.

excepto plane fere cum eis, quae apud Ahrensium p. 5 v. 7—15 edita sunt, congruit. Similia inveniuntur apud Diomedem p. 56, 112 sqq. (Kaibel C. Gr. Fr.). Tzetzae et Diomedis verba exscribam:

Anecd. Est.

ὅτι τῶν τὰ βουκολικὰ συγγραψάντων ἴδια τὸ Δωρίδι χρῆσθαι διαλέκτῳ, τὸ μιμεῖσθαι εἰς ἄκρον ἀγροίκων ὁμιλίας καὶ νομέων, χαριέντως αὐτὰς ἐκφράζων . ἄρτον τε ἐξήρτηντο μορφὰς θηρίων ἐν ἑαυτῷ ἔχοντα καὶ πήραν πανσπερμίας ἀνάπλεων, καὶ οἶνον ἐν αἰγείῳ ἀσκῷ φέροντες σπονδὴν ἔνεμον τοῖς ὑπαντῶσι. στέφανόν τε περιέκειντο καὶ κέρατα ἐλάφων προέκειτο αὐτοῖς. μετὰ χεῖράς τε εἶχον λαγωβόλον. ὁ δὲ νικήσας ἐλάμβανε τοῦ ἡττηθέντος τὸν ἄρτον. κἀκεῖνος μὲν ἐπὶ τῆς τῶν Συρακουσίων ἔμενε πόλεως, οἱ δὲ νενικημένοι εἰς τὰς περιοικίδας ἐχώρουν, ἀγείροντες ἑαυτοῖς τὰς τροφάς. παρεῖχόν τε ἄλλα τε παιδιᾶς ἄξια καὶ δὴ καὶ τόδε προσέλεγον· Δέξαι τὰν ἀγαθὰν τύχαν Δέξαι τὰν ὑγίειαν, Ἂν φέρομεν παρὰ τῆς θεοῦ, Ἂν ἐκαλέσατο τήνα.

Diomed.

habitus autem huius modi videbatur: erat panis magnus omnium ferarum imagine completus et uter cum vino et follis cum omnium leguminum genere; inerat et corona in capite et in manu pedum clavatum. atque ita victorum omnium fores multitudo circumibat, carmen in victoriam quam adepti fuerant canebant et de eo folle limina frugibus spargebant... quamquam est et alia opinio, circum pagos et oppida solitos fuisse pastoros composito cantu precari pecorum ac frugum hominumque proventum, atque inde in hunc diem manere nomen et ritum bucolicorum.

Quamquam duae illae narrationes non plane congruunt (apud Diomedem duae versiones extant, quarum ne altera quidem Anecdoto Estensi plane respondet), tamen quin ex eodem fonte fluxerint non dubium esse censeo. Etiam Kayserus apud Diomedem vestigia Tzetzae narrationis inveniri dicit p. 76. Quoniám Diomedem et Proclum eodem de arte poetica libro usos esse Kaibelius probavit (cf. proll. p. 65) et Kayserus con-

firmavit, a vero vix aberrare nos puto, cum illam narrationem Tzetzam aliis quidem intercedentibus Proclo debere statuimus [1]).

In eis, quae in anecdoto sequuntur, caerimoniae, quae antea descriptae sunt, explicantur; quam partem a Tzetza arbitrio suo confusam esse Kayserus censet (p. 78). Bonam quidem memoriam ea contineri probavit (p. 76 sqq.). Simile quid etiam Proclum praebuisse pro certo habeo. Quin Neoplatonicus de caerimoniis explicandis egerit, non est dubium.

Neque quin Proclus de bucolicorum inventione dixerit (p. 4, 5 Ahrens; cap. III, 2 anecd.) ullo modo potest dubitari. Hoc περὶ εὑρέσεως caput in seriem eorum pertinet, quae grammaticus noster disserere solet. Fortasse etiam ex eo, quod una versio ceteris praefertur (ὁ δὲ ἀληθὴς λόγος οὗτος in prolegomenis ab Ahrensio editis, ἀληθέστερον δέ φασιν οἱ λέγοντες κτλ. anecd.) effici licet, Procli scripto Byzantinum narrationem suam debere. Nonnullis enim locis Proclum non modo varias memorias simpliciter enumerasse, sed etiam suum ipsius iudicium addidisse apparet, velut ubi de eis, quae de Homeri vita narrantur, iudicium fert p. 232, 10: Ἀλλὰ δὴ ταῦτα μὲν πολλῆς ἔχεται ζητήσεως et l. 13 sqq.: Εἰσὶ δὲ οἵτινες ἀνεψιὸν αὐτὸν Ἡσιόδου παρέδοσαν, ἀτριβεῖς ὄντες ποιήσεως κτλ., atque ubi de significatu vocis ὑμέναιος dicit: Ἐγὼ δὲ οἶμαι κτλ. Accedit, quod, quae tradita sunt, plane fere, congruunt cum Diomedis narratione (p. 56, 97 sqq. Kaibel).

Sequitur vita Theocriti, quae ei quae ab Ahrensio publici iuris facta est ad verbum fere respondet. Vitae genuinae finis esse mihi videtur post verbum ὠνομάσθη. Quae antecedunt Proclum sapere videntur. A comicorum vitis, quas in anonymo invenimus, haec Theocriti vita non differt; quare ut ipse iudices, hanc una cum Menandri vita in anonymo extante exscribam.

---

[1] Locum, qui accuratius cum Estensi congruit, Kayserus affert e Probo III 2 p. 325 Thilo-Hagen.

Θεοκρίτου γένος (Ahrens.)

Θεόκριτος ὁ τῶν βουκολικῶν ποιητὴς Συρακούσιος ἦν τὸ γένος πατρὸς Σιμίχου, ὥς αὐτός φησι· 'Σιμιχίδα, πᾶ δὴ τὺ μεσαμέριον πόδας ἕλκεις;' ἔνιοι δὲ τὸ Σιμιχίδης ἐπώνυμον εἶναι λέγουσι — δοκεῖ γὰρ σιμὸς ἦν πρόσοψιν — πατέρα δὲ ἐσχηκέναι Πραξαγόραν καὶ μητέρα Φιλίναν, ἀκουστὴς δὲ γέγονε Φιλητᾶ καὶ Ἀσκληπιάδου, ὧν μνημονεύει. ἤκμασε δὲ κατὰ τὸν Πτολεμαῖον τὸν ἐπικληθέντα ⟨Φιλάδελφον τὸν⟩ Πτολεμαίου τοῦ ἐπικληθέντος Λάγου [1]. περὶ δὲ τὴν τῶν βουκολικῶν ποίησιν εὐφυὴς γενόμενος πολλῆς δόξης ἐκ τούτων ἐπέτυχε. κατὰ γοῦν τινας Μόσχος καλούμενος Θεόκριτος ὕστερον ὠνομάσθη.

Anonym.

Μένανδρος δὲ Διοπείθους υἱὸς Ἀθηναῖος, λαμπρὸς καὶ βίῳ καὶ γένει, συνδιατρίψας δὲ τὰ πολλὰ Ἀλέξιδι ὑπὸ τούτου δοκεῖ παιδευθῆναι. ἐδίδαξε δὲ πρῶτον ἔφηβος ὢν ἐπὶ Φιλοκλέους ἄρχοντος, γέγονε εὐφυέστατος πάνυ.

Commemoratu dignum est Proclum in singulorum generum eminentissimis poetis describendis verbis εὐφυία, εὐφυής libenter usum esse videri. Sic Aristophanes laudatur (p. 8, 41 sq.) μακρῷ λογιώτατος Ἀθηναίων καὶ εὐφυίᾳ πάντας ὑπεραίρων, Antiphanes (p. 9, 58) γενέσθαι δὲ λέγουσιν αὐτὸν εὐφυέστατον εἰς τὸ γράφειν καὶ δραματοποιεῖν, Menander γέγονε δὲ εὐφυέστατος πάνυ, neque aliter Theocritus hoc adiectivo ornatur.

Sequitur in anecdoto caput, quo de vocis βουκόλος origine disputatur, quod Proclo intercedente ex Orionis lexico fluxisse Kayserus probavit.

Ut etiam cetera, quae extant in anecdoto, in chrestomathia tractata fuerint fieri potest. Disseritur de Artemidori epigrammate, de dialecto in bucolicis adhibito, de voce εἰδύλλιον.

2. Si re vera bucolica in chrestomathia tractata fuerunt, non iam dubium esse potest, qua partiendi ratione Proclus in

---

[1] ἤκμασε δὲ ἐν τοῖς χρόνοις Πτολεμαίου τοῦ ἐπικληθέντος Λαγωοῦ Anecd. Estens.

poesis generibus distinguendis usus sit. E locis apud Photium et in scholiis Londinensibus servatis, quibus hac de re agitur, non perspicue apparere videbatur, utrum Proclus Platonis[1] tripartitam an Aristotelis[2] bipartitam adhibuerit rationem. Photii (p. 230, 2 sqq.) et scholiorum locum (p. 450, 3 sqq.) exscribam:

Photius	scholium
Καὶ ὅτι τῆς ποιητικῆς τὸ μέν ἐστι διηγηματικόν, τὸ δὲ μιμητικόν· καὶ τὸ μὲν διηγηματικὸν ἐκφέρεται δι' ἔπους, ἰάμβου τε καὶ ἐλεγείου καὶ μέλους· τὸ δὲ μιμητικὸν διὰ τραγῳδίας σατύρων τε καὶ κωμῳδίας.	Ποιήσεως χαρακτῆρες τρεῖς, διηγηματικός, δραματικός, μικτός· διηγηματικός ἐστιν ὁ κεχωρισμένος μὲν τῶν παρεισαγομένων προσώπων, ὑπ' αὐτῶν δὲ τῶν ποιητῶν λεγόμενος· δραματικὸς δὲ ὁ κεχωρισμένος τοῦ ποιητικοῦ προσώπου, ὑπὸ δὲ τῶν παρεισαγομένων προσώπων λεγόμενος· μικτὸς δὲ ὁ ἐξ ἀμφοῖν συγκείμενος. Εἴδη τοῦ διηγηματικοῦ καὶ μικτοῦ τέσσαρα, ἐπικόν, ἐλεγειακόν, ἰαμβικόν, μελικόν, τοῦ δραματικοῦ εἴδη τρία, τραγικόν, κωμικόν, σατυρικόν.

Cum Kaibelius[3] in eo offenderet quod apud Photium epopoeia, iambus, elegia, poesis lyrica in poesis enarrativae genere numerantur, itaque illum neglegenter excerpsisse censeret, Immischius bipartitionem Aristotelicam in Platonis partitionem a Proclo translatam esse et huius transferendi vestigiá e testimoniis servatis apparere putabat[4]. Cuius sententiam

---

[1] cf. rei publ. lib. III p. 394 c ἡ μὲν διὰ μιμήσεως ὅλη ἐστίν, τραγῳδία τε καὶ κωμῳδία, ἡ δὲ δι' ἀπαγγελίας αὐτοῦ τοῦ ποιητοῦ· εὕροις δ' ἂν αὐτὴν μάλιστά που ἐν διθυράμβοις· ἡ δ' αὖ δι' ἀμφοτέρων ἔν τε τῇ τῶν ἐπῶν ποιήσει, πολλαχοῦ δὲ καὶ ἄλλοθι.

[2] art. poet. cap. 3 p. 1448 a 20 μιμεῖσθαι ἔστιν ὁτὲ μὲν ἀπαγγέλλοντα, ἢ ἕτερόν τι γιγνόμενον, ὥσπερ Ὅμηρος ποιεῖ, ἢ ὡς τὸν αὐτὸν καὶ μὴ μεταβάλλοντα, ἢ πάντας ὡς πράσσοντας καὶ ἐνεργοῦντας τοὺς μιμουμένους.

[3] Prolegg. p. 29. Cf. etiam Usenerum Relat. acad. Bavar. 1892 p. 616.

[4] l. l. p. 261: Proclus schlug das platonische μικτόν zur Diegese und reduzierte das platonische Schema auf diese Weise auf

secutus est Kayserus l. l. p. 17. Nunc si conceditur Proclum bucolicorum habuisse rationem, Immischii sententia corruit, cum ubicumque bucolica locum habeant, Platonis partitionem inveniri ipse dicat [1]. Sed etiamsi Theocriti carmina neglecta essent, tamen qua partiendi ratione Proclus usus sit, uno tantum modo diiudicari posse existimo. Nam primum quidem est veri simile Diadochum magistri rationem secutum esse, quam non ignorat, id quod Immischius ipse monet. In Procli commentario in Platonis rempublicam scripto (I p. 14, 17 sqq. Kroll) legimus: τοῦτο δὲ οὐ πολλῶν οἶμαι δεήσεσθαί μοι λόγων, ἀλλ' ἀναμνῆσαι χρῆναι μόνον ὅτι καὶ αὐτὸς ἐν τῷδε τῷ συγγράμματι (III p. 392 d) τρία φησὶ εἴδη λέξεως ὑπάρχειν, τὸ μὲν δραματικὸν καὶ μιμητικὸν μόνως τῆς κωμῳδίας λέγων καὶ τῆς τραγῳδίας· τὸ δὲ ἀφηγηματικὸν καὶ ἀμίμητον, οἷον καὶ οἱ τοὺς διθυράμβους γράφοντες καὶ οἱ τὰς ἱστορίας τῶν γεγονότων ἄνευ προσωποποιΐας μετέρχονται· τρίτον δὲ τὸ μικτὸν ἐξ ἀμφοτέρων, οἵαν καὶ τὴν Ὁμήρου ποίησιν εἶναι, τὰ μὲν ταῖς τῶν πραγμάτων ἀφηγήσεσι, τὰ δὲ ταῖς τῶν προσώπων μιμήσεσι πεποικιλμένην. τριῶν δὲ τούτων παρ' αὐτῷ διῃρημένων δεῖ δήπου τὴν προκειμένην πραγματείαν εἰς τὸ μικτὸν εἶδος τῶν λόγων ἀναπέμπειν κτλ. Ipse igitur Platonis de re publica dialogum in genere mixto numerat et verbis καὶ αὐτός se ipsum magistri partitionem sequi confiteri videtur. Veri igitur simile est chrestomathiae scriptorem non aliter fecisse. Sed chrestomathiae verba ipsa ad quaestionem diiudicandam sufficiunt. Apud Photium opponuntur διηγηματικόν et μιμητικόν, id quod Platonis rationem prodit. Plato enim vocis μιμήσεως duplici sensu utitur; secundum alterum est μίμησις norma totius artis, secundum alterum „imitatio orationum“ [2]. Aristoteles autem generali tantum vocis μιμήσεως sententia uti solet [3]. Hic igitur generi enarrativo non mimeticum opponere potest sed dramaticum.

---

die aristotelische Zweiteilung. Bei Photius steht nur das Endresultat ... er hat eben nur das letzte Ergebnis von Proclus' Erörterungen mitgeteilt.

[1] cf. p. 262; Kayser p. 10.

[2] cf. Finsler, Plato u. die Aristotelische Poetik. Lips. 1900. p. 17.

[3] Finsler p. 26; Bernays, Zwei Abhandlungen über die Aristotelische Theorie des Drama, 1880, p. 140.

Sed nunc explicandum est, cur in scholio Londinensi verbis διηγηματικὸν καὶ μικτόν quattuor illa genera comprehendantur. Primum tres poesis characteres enumerantur et definiuntur. Tum scriptor comprehendit: εἴδη τοῦ διηγηματικοῦ καὶ μικτοῦ τέσσαρα, ἐπικόν, ἐλεγειακόν, ἰαμβικόν, μελικόν· τοῦ δραματικοῦ εἴδη τρία, τραγικόν, κωμικόν, σατυρικόν. In eo quod verbis διηγηματικοῦ καὶ μικτοῦ quattuor illa genera inseruntur, offenderunt Usenerus, Kaibelius, Immischius. Usenerus mutare volebat (l. l. p. 626 adn.): Εἴδη τοῦ διηγηματικοῦ * * * ⟨Εἴδη τοῦ μικτοῦ⟩ δ̄, ἐπικὸν κτλ. Kaibelius illud propterea factum esse putabat, quia mera enarrativi generis exempla omnino non extitissent neque extare possent. Quam sententiam ad refutandam satis est referre ad locum illum, quem e commentario in Rempublicam scripto exscripsimus: οἱ τοὺς διθυράμβους γράφοντες καὶ οἱ τὰς ἱστορίας τῶν γεγονότων ἄνευ προσωποποιΐας μετέρχονται; et in prolegomenis in Hesiodi Opera scriptis legimus: διηγηματικὸν μέν ἐστιν ἐν ᾧ ὁ ποιητὴς μόνος φαίνεται φθεγγόμενος, ὥσπερ ἐνταῦθα ὁ ποιητὴς Ἡσίοδος μόνος ἐν παντὶ τῷ συγγράμματι φαίνεται διαλεγόμενος [1]. Immischius denique, ut vidimus, in scholiastae verbis vestigia relicta esse censebat bipartitionis ad Platonis tripartitionem translatae. Mihi quidem in scholio nihil offendere videtur. Generi enarrativo non quidem tota genera, sed singulae poesis species tribuuntur. In tractatu Coisliniano continentur vocibus ἱστορική, παιδευτική, ὑφηγητική, θεωρητική. Apud Diomedem (p. 53, 11 Kaibel) legimus: „ut se habent tres georgici et prima pars quarti, item Lucreti carmina et cetera his similia." Talia exempla Proclum definitioni generis enarrativi addidisse (cf. com. in Remp. l. s. c. et prolegg. in Hesiod. l. s. c.) pro certo habeo. Sed non ignorabat has species, si spectas ad formam, non posse distingui ab epopoeia, elegia, iambo, poesi lyrica. Propterea in conspectu, quem in fine dabat, ei quod est διηγηματικὸν καὶ μικτόν summo iure tota genera epopoeiam elegiam cetera tribuit [2]. Diomedes, cuius capiti Procli locum

---

[1] cf. Immischium p. 263 sqq., Kayserum p. 12.

[2] cf. Anecd. Esteus. I 10 (p. 58 Kays.) ὅτι ἐποποιοί εἰσιν οἱ χωρὶς πλάσματος ἐν ἡρωικῷ ἢ καὶ ἐλεγείῳ μέτρῳ διηγούμενοί τινα

ceteris in rebus propinquissimum fuisse veri est simile[1], eo potissimum peccavit, quod enarrativi puri carmina, quae epopoeia ceterisque iam continentur, segregavit. Satis erat genus enarrativum exemplis singulis illustrare; sed uno gradu id cum epopoeia ceterisque ponere, species cum generibus, non licebat. Summo igitur iure Usenerus Diomedis schema reprehendit (p. 616 sq.): Aber hier handelt es sich durchweg um Formen der Darstellung, von welchen jede Dichtungsart Anwendung machen kann. Nur verknöcherte Schulweisheit konnte die Platonische Einteilung einer Klassifikation der Dichtungsarten zugrunde legen. Der Versuch musste so unglücklich ausfallen, wie er ausgefallen ist; es genügt auf die Stellung der Elegie aufmerksam zu machen, die schon in der zweiten Gattung (Theognis) vertreten ist. Quod in Diomede reprehendit Usenerus mutatione sua in Proclum, qui mendum illud vitavit, transfert; quare eam ne accipiamus cavebimus.

3. In anecdoto Estensi poesis characteribus tractatis de tribus dicendi generibus disseritur, quod caput Kayserus suo iure cum iis, quae Proclus hac de re exhibet, comparat, quin etiam eo intercedente Byzantinis traditum esse censet. Tamen in iis, quae de chrestomathiae capite Immischium secutus dicit, assentiri ei non possum. Procliana extant apud Photium p. 229, 10 sqq. et in scholiis Londinensibus p. 449, 26 sqq. H.

Photius	scholium
καὶ ὅτι τοῦ πλάσματος τὸ μέν ἐστιν ἰσχνόν, τὸ δὲ ἁδρόν, τὸ δὲ μέσον καὶ τὸ μὲν ἁδρὸν ἐκπληκτικώτατόν ἐστι καὶ κατεσκευασμένον μάλιστα καὶ ποιητικὸν ἐμφαῖνον κάλλος· τὸ δὲ ἰσχνὸν τὴν τροπικὴν μὲν καὶ φιλοκατάσκευον σύνθεσιν μεταδιώκει, ἐξ ἀνειμένων δὲ μᾶλ-	ποιήματος πλάσματα ἁδρόν, ἰσχνόν, ἀνθηρὸν τὸ καὶ μέσον· ἁδρὸν τὸ διηρμένον ὄγκῳ τῷ κατὰ φύσιν, οἷον ⟨N 126⟩ ‛Ἀμφὶ δ' ἄρ' Αἴαντας δοιοὺς ἵσταντο φάλαγγες'. ἰσχνὸν τὸ συνεσταλμένον ὄγκῳ τῷ κατὰ φύσιν, οἷον ⟨Λ 269⟩ ‛ὡς δ' ὅτ' ἂν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος'.

διήγησιν ἢ καὶ ἠθικὰς συντιθέντες γνώμας. οἷος ἦν Θέογνις καὶ Φωκυλίδης. Ad ἐποποιοί cf. Kayserum p. 67.

[1] cf. Usenerum l. l. p. 615; Kayserum p. 51.

λον συνήρτηται, ὅθεν ὡς ἐπίπαν τοῖς γοεροῖς ἄριστά πως ἐφαρμόττει· τὸ δὲ μέσον καὶ τοὔνομα μὲν δηλοῖ ὅτι μέσον ἐστὶν ἀμφοῖν. Ἀνθηρὸν δὲ κατ' ἰδίαν οὐκ ἔστι πλάσμα, ἀλλὰ συνεκφέρεται καὶ συμμέμικται τοῖς εἰρημένοις· ἁρμόζει δὲ τοπογραφίαις καὶ λειμώνων ἢ ἀλσῶν ἐκφράσεσιν κτλ.

Var. lect. v. 7 ἐμφαῖνον M, recte posuit Kaibel proll. p. 18; ἐπιφαῖνον A.

ἀνθηρὸν τὸ μέσον ἀμφοῖν, οἷον ⟨τ 518⟩ 'ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη'. ἀνθηρὸν δὲ λέγεται, ὅτι ἁρμόζει μάλιστα πρὸς ἀπαγγελίαν λειμώνων καὶ ἀνθέων.

Var. lect. v. 3 διηρμένον Usener relat. acad. Bav. 1892 p. 607 adnot. 3 διηρημένον trad. || 7 ὄγκῳ τῷ κατὰ φύσιν uncis inclusit Kaibel proll. p. 18.

Kaibelius his de locis egit in prolegomenis p. 18 sqq.; Immischius l. l. p. 256 adnot.; Kayserus l. l. p. 81 sqq. Et Kaibelius et Immischius in definitione generis ἰσχνοῦ offendunt. Ille a Photio definitionem generis medii vel floridi (ἀνθηρόν) in genus ἰσχνόν errore translatam esse censet. Vel particulis μέν — δέ aliquid medii designari. Conferendum commendat locum Quintiliani lib. XII 10, 60: „medius hic et translationibus crebrior et figuris erit iucundior, egressionibus amoenus, compositione aptus, sententiis dulcis, lenior tamen ut amnis, lucidus quidem sed virentibus utrimque ripis inumbratus". Kaibelii opinioni favent verba ὅθεν ὡς ἐπίπαν τοῖς γοεροῖς ἄριστά πως ἐφαρμόττει, quae si recte tradita sunt, in charactera ἰσχνόν non satis quadrare videntur. Accedit quod in scholiis ut medii vel floridi generis exemplum Odysseae locus praebetur, quo Pandarei filiae querelae describuntur. Neque Kaibelius dubitat hoc exemplum ad illa verba, quibus genus ἰσχνόν illustratur, referre:

τ 518 ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη χλωρηὶς ἀηδὼν
καλὸν ἀείδῃσιν ἔαρος νέον ἱσταμένοιο,
δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν κτλ.

Sed hoc in exemplo non de querela, sed de ecphrasi, quae dicitur, agitur. Immischius autem Photium errasse non concedit propterea praecipue, quod scholiastae verbis ἀνθηρὸν τὸ μέσον ἀμφοῖν fidem non habet, qua in re ad Photii revocat testimonium: Ἀνθηρὸν δὲ κατ' ἰδίαν οὐκ ἔστι πλάσμα. Generis

subtilis definitionem particula οὐ inserta sanare studet et vocem γοεροῖς ex exemplo Iliadis (Λ 269), ubi Agamemnonis dolor describitur, explicari dicit; γοεροῖς traditum non librarii errore ortum esse iudicat, ut censuit Guil. Schmid, qui νοεροῖς scribendum esse coniecit. Sensum pro γοεροῖς postulare μικροῖς [1].

Sed illa subtilis generis definitione primum quidem omissa statuamus, quid in universum e Photii et scholiastae verbis sit concludendum ad Procli genuinum librum restituendum. Kaibelius et Immischius praecipue eo differunt, quod ille scholium secutus medium et floridum genus non distinguit, cum hic Photii verbis summam vim tribuat: Ἀνθηρὸν δὲ κατ' ἰδίαν οὐκ ἔστι πλάσμα. Sed neque hic neque ille merito in alterutrius testis verba iurare videtur. Alter locus mea quidem sententia altero potest suppleri. Proclus enim, ut solet, non unam tantum sententiam commemoravit. Vel e verbis ἀνθηρὸν δὲ κατ' ἰδίαν κτλ. efficitur Proclum contra eos pugnasse, qui genus floridum ut quartum tribus illis adserebant, id quod factum videmus apud Diomedem, ubi legimus: „Poematos χαρακτῆρες sunt quattuor", et quarto loco enumeratur: „ἀνθηρός ut in VII (Verg. Aen.) ubi amoenitatem luci ac fluminis describendo facit narrationem sic" (v. 30—34). Confer etiam Macrobii Saturnal. V 1, 7 et anonymum in Keilii Gram. Lat. VI p. 274, quos locos Kayserus p. 83 sqq. attulit. Proclus igitur ipse sententiam, qua ἀνθηρὸν genus ceteris subiungatur, probat, cuius sententiae testimonia idem Kayserus attulit p. 81 sqq., dico Pseudo-Plutarchum (de vita et poesi Homeri l. s. c.) et anecdoton Estense III, 6 (p. 63 K.). Sed praeterea tertia [2] versio apud Proclum extitisse videtur, quae scholio servata est: ἀνθηρὸν τὸ μέσον ἀμφοῖν. In scholio errorem irrepsisse vel propterea veri simile non est, quod congruenter tria tantum genera enumerantur, tria definiuntur et exemplis illustrantur atque tria vitia commemorantur: Ἀντίκειται δὲ τῷ μὲν ἁδρῷ τὸ σκληρὸν καὶ τὸ βραχύ, τῷ δε ἰσχνῷ τὸ πλατὺ καὶ τὸ παχύ· τῷ δὲ ἀνθηρῷ τὸ ἀγλευκὲς καὶ τὸ λογοειδές. Cuius doctrinae vestigia [3] inve-

---

[1] Conferenda commendat Pseudo-Plutarch. de vita et poesi Homeri LXXII et LXXIII. Fortunatian. p. 125, 27 H. Cic. orat. 100.

[2] cf. Krollium in Mus. Rhen. vol. LXII p. 89.

[3] cf. Schmid, Mus. Rhen. vol. IL p. 142 sqq.

nimus in Ciceronis oratore § 96: „Est quoddam insigne et florens orationis pictum et expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores. Hoc totum e sophistarum fontibus defluxit in forum, sed spretum a subtilibus, repulsum a gravibus, in ea de qua loquor mediocritate consedit". Et apud Quintilianum extat XII 10, 58 „tertium alii medium ex duobus, alii floridum (ἀνθηρόν)"; cuius definitionem supra exscripsimus [1]. Conferamus etiam Phoibammonis verba, quae Syriani nomine tradita sunt, p. 107, 25 (Rabe): ἐντεῦθεν γὰρ ὁρμώμενοι καὶ ἁδροὺς ἐκάλεσαν οἱ παλαιοὶ χαρακτῆρας καὶ ἰσχνοὺς καὶ ἀνθηροὺς καὶ ὅσας σχεδὸν ἐπὶ τῶν σωμάτων διατυπώσεις ἐθεάσαντο, τοσαύτας ἐπὶ τοὺς χαρακτῆρας μετήνεγκαν.

Quod denique definitionem generis ἰσχνοῦ, quam Photius servavit, attinet, difficile est diiudicatu, utrum merito in textu tradito offendamus necne. Nam huius generis definitiones re vera differunt; velut in rhetorica ad Herennium scripta definitur IV 8, 11 „quae dimissa est usque ad usitatissimum puri consuetudinem sermonis". Quocum minime congruit Ciceronis locus orat. 81: „Ergo ille tenuis orator modo sit elegans nec in faciendis verbis erit audax et in transferendis verecundus et parcus in priscis reliquisque ornamentis et verborum et sententiarum demissior, translatione fortasse crebrior", quem locum cum Photiano merito conferri posse Schmidio contra Immischium assentior. Quod Immischius particulam οὐ inserere vult, enuntiati rationem pervertere mihi videtur: τὸ δὲ ἰσχνὸν

[1] De effectu, qui generis tertii est, dicit Quintilianus XII 10, 59: „tertium illud, utrocumque est nomine, delectandi sive ut alii dicunt, conciliandi praestare videatur officium". Kayserus p. 87 non merito in eo offendit, quod huic generi duo officia tribuuntur: ... „si rem", inquit, „accuratius spectamus, duos illud tertium amplectitur characteras. Parum feliciter apud Quintilianum in unum dicendi genus sunt redacti, id quod fortasse eius auctori crimini est dandum." Immo hoc e loco intellegi potest, qua re cum medio potissimum floridum genus coniunctum sit. Delectare et conciliare arte cohaerent; qui conciliare vult, eum delectare opus est; id quod bene illustratur eo, quod medii exemplum Quintilianus nominat Nestorem, de quo Homerus iudicium fert hoc: „ex ore Nestoris dixit dulciorem melle profluere sermonem" (Quint. XII 10, 64).

τὴν τροπικὴν μὲν καὶ φιλοκατάσκευον σύνθεσιν ⟨οὐ⟩ μεταδιώκει, ἐξ ἀνειμένων δὲ μᾶλλον συνήρτηται. Duae enim res inter se opponuntur, quarum altera comparativo μᾶλλον inducitur; primam igitur enuntiati partem aliquid positivi continere necesse est; aliquid eius, quod in prima parte dicitur, minore quamquam modo generis subtilis proprium est. Quod si concesserimus, etiam ea quae antecedunt apud Proclum melius intellegi possunt. De genere quod est ἁδρὸν dicit Photius: καὶ τὸ μὲν ἁδρὸν ἐκπληκτικώτατόν ἐστι καὶ κατεσκευασμένον μάλιστα κτλ. Vel hoc superlativo exprimitur virtutes laudatas non generis ἁδροῦ solius proprias esse. Neque cum Kaibelio ad particulas μέν — δέ spectantes Photium errasse putare debemus. Unumquodque genus in aurea media via manere opus est; genus ἰσχνόν fit ταπεινόν, si modum transgressum est. Illis μέν — δέ respondent verba „etsi" — „tamen" in alio Ciceronis loco, ubi de eodem subtili genere dicit or. 76: „Etsi enim non plurimi sanguinis est, habeat tamen succum aliquem oportet, ut etiamsi illis maximis viribus careat, sit (ut ita dicam) integra valetudine". Vox γοεροῖς quidem parum quadrat et optima omnium Immischii sententia videtur esse, qui eam exemplo ex Iliade sumpto explicandam censet.

Vita.

Natus sum Fridericus Stein in oppido Rhenano prope Coloniam sito, cui est nomen Kalk, Kalendis Septembribus anni 1881 patre Carolo matre Elisabeth e gente Neuhaus, quam ante hos quattuor annos mortuam esse doleo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus per octo annos frequentavi gymnasium Fridericium Guilelmium Coloniense.

Vere anni 1901 maturitatis testimonio instructus Bonnam me contuli, ut studiis philologicis et historicis me darem. Autumno anni sequentis Berolinum migravi, ubi duo semestria versatus Bonnam redii. Usque ad mensem Martium anni 1906 Bonnae mansi. Exercitationibus grammaticis archaeologicis philosophicis historicis interfui. Berolini proseminarii per duo semestria, Bonnae seminarii philologici per tria semestria fui sodalis. Tentamen rigorosum die XXV mensis Iulii anni 1906 sustinui.

Docuerunt me viri doctissimi Diels, Graef, Heinze, Lasson, E. Meyer, D. Schaefer, Guil. Schulze, Schoene, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff Berolini; de Bezold, Brinkmann, Buecheler, Clemen, Deubner, Dyroff, Erdmann, Firmenich-Richartz, Goebel, Jaeger, Kuentzel, Loeschcke, Nissen, Radermacher, Ritter, Solmsen, Usener †, Wentscher, Wolff Bonnae.

Quibus omnibus viris gratiam habeo maximam, imprimis autem Augusto Brinkmann, quo auctore et adiutore hanc dissertationem me composuisse grato animo profiteor.